



Compendium philosophiae moralis seu ethicae secundum principia S. Thomae : ad usum scholarum

<https://hdl.handle.net/1874/237140>


251

Vak 126

mm 14014



L. Mathis. 1910.



COMPENDIUM

PHILOSOPHIÆ MORALIS SEU ETHICÆ

SECUNDUM PRINCIPIA S. THOMÆ

AD USUM SCHOLAREM

AUCTORE

P. POTTERS,

PHILOS. MOR. ET THEOL. DOGM. PROF.

IN SEMINARIO BREDANO.

PARS I.

ETHICA GENERALIS

COMPLECTENS

PRINCIPIA GENERALIA ORDINIS MORALIS NATURALIS.

B R E D Æ.

SUMPTIBUS

J. VAN TURNHOUT,

EDITORIS.

FRIBURGI BRISGOVIÆ
SUMPTIBUS HERDER,
TYPOGRAPHI EDITORIS PONTIFICII.
EJUSDEM LIBRARIE ÆDES SUNT VIN-
DOBONÆ, ARGENTORATI, MONACHII
ATQUE IN URBE S. LUDOVICI
AMERICANA.

1892.



Approbatio Episcopi Bredani.

Librum, cui titulus: *Compendium Philosophiæ moralis seu Ethicæ secundum principia S. Thomæ ad usum scholarem*, haud minori studio quam eruditione a Seminarii nostri Professore P. Potters elaboratum et a Rmo Dno Præsidi A. W. van Rijen, cui ejusdem examen commisimus, recognitum et approbatum, in lucem edi libentissime permittimus atque magnopere tum Seminarii alumnis tum Clero Diœcesis nostræ commendamus.

Datum BREDE, 10 Maji 1892.

† P. LEIJTEN,
Epus Bred.



Præfatio.

Plures hac nostra ætate prodiisse libros de re morali, eosque magnæ eruditionis, gratulanter conspiciamus. At vero, ut S. Augustinus inquit, „utile est plures a pluribus fieri diverso stylo, non diversa fide, etiam de quæstionibus eisdem, ut ad plurimos res ipsa perveniat, *ad alios sic, ad alios autem sic.*” ¹⁾

Quæ cum animo reputarem, non opus inutile fore duxi ea, quæ ab aliis magnæ eruditionis apparatu et subtilius fuerunt elaborata, quoad summa rei capita in compendium redigere simpliciorique methodo exponere in utilitatem eorum, qui in clericorum Seminariis ad disciplinas theologicas se præparant.

Siquidem scopus hujus Compendii totus in eo est, ut sacrorum alumni, qui plenioribus Philosophiæ moralis studiis vacare nequeant, necessariis tamen ordinis naturalis elementis imbuantur; hisce enim rudimentis neglectis, obeundis studiis theologicis via præcluditur.

Alumnorum itaque utilitati ac commodo consulens, in tradenda hac disciplina morali nonnullas quæstiones

¹⁾ *De Trinitate*, lib. 1, cap. 8.

prætermisi, alias nonnisi summatim attigi, alias vero fusiori modo tractavi, quinimo nonnulla identidem inserui, quæ ad Theologiam proprie pertinent.

Quod vero est ad errores, qui hac nostra præsertim ætate fungorum instar ubique pullulant, scopo præstito sufficit indicasse et impugnasse præcipuos; hisce enim devictis, cæteri facile profligantur.

In adornando hoc Compendio summa mihi religio fuit sequi *Doctorem Angelicum*, ¹⁾ qui inter Scholasticos Doctores omnium princeps et magister longe eminet, et veteres Doctores sacros quia summe veneratus est, ideo intellectum omnium quodammodo sortitus est; at tamen illud quoque libenti gratoque animo excipiendum erat, quidquid sapienter dictum, quidquid utiliter fuerit a quopiam inventum atque excogitatum. ²⁾

¹⁾ De colenda S. Thomæ philosophia videsis Leon. XIII Encycl. *Æterni Patris*, 4 Aug. 1879. — ²⁾ *Æterni Patris*.



1 Waording de maatschappij
 2 Volgens het heritel
 3 Zedelyke orde 4 deelyke bequelyc moete
 5 Barmhertich & t'neuen filosofie (opzeker)
 6 hie. Soet g'n aakt door pract. Phil. - other

Seunt

Introductio.

Antequam varias Philosophiæ moralis quæstiones
 aggrediamur, circa Philosophiam moralem ipsam quaeritur 1^o quisnam sit ejus locus inter disciplinas philosophicas; 2^o quomodo ipsa definiatur; 3^o utrum ipsa sit scientia practica; 4^o quisnam sit ejus fons proprius, quænam sint ejus subsidia extrinseca; 5^o quænam sit habitudo inter Philosophiam et Theologiam moralem; 6^o quænam sit ejus præstantia et utilitas; 7^o quænam sit Philosophiæ moralis partitio.

I. Philosophia est tripartita. Post Platonem Aristoteles aliique communiter Philosophiam dividunt in

1 Rationalem, Realem et Moralem.¹⁾ Cujus divisionis rationem explicat S. Thomas in lib. I Ethic. lect. I:

Philosophie Reale
 nalis
 Philosophie Practicæ

„Sicut dicit Philosophus in principio Metaphysicæ, sapientis est ordinare. Cujus ratio est, quia sapientia est potissima perfectio rationis; cujus proprium est cognoscere ordinem Ordo autem quadrupliciter ad rationem comparatur. Est enim quidam ordo, quem ratio non facit, sed solum considerat, sicut est ordo rerum naturalium. Alius autem est ordo, quem ratio considerando facit in proprio actu, puta cum ordinat conceptus suos ad invicem et signa conceptuum, quæ sunt voces significativæ. Tertius autem est ordo,

¹⁾ Sylvester Maurus, in Aristot. Proem. Philos. Mor.

quem ratio considerando facit in operationibus voluntatis. Quartus autem est ordo, quem ratio considerando facit in exterioribus rebus quarum ipsa est causa, sicut in arca et domo."

Tres priores ordines pertinent ad Philosophiam; quartus ordo spectat ad Artes. „Ad Philosophiam naturalem pertinet considerare ordinem rerum, quem ratio humana considerat, sed non facit Ordo autem, quem ratio considerando facit in proprio actu, pertinet ad rationalem Philosophiam Ordo autem actionum voluntariarum pertinet ad considerationem moralis Philosophiæ."

II. **Definitio Philosophiæ moralis.** Philosophia moralis seu Ethica (a voce $\eta\theta\omicron\varsigma$, latine „mos") definiri potest: 1° Scientia 2° ordinis moralis 3° per rationes ultimas 4° naturali lumine rationis comparata.

Explicatur definitio. Dicitur 1° Scientia, i. e. cognitio certa et evidens per causas. Talis cognitio maxime differt a cognitione *vulgari*; cognitio vulgaris enim tantum exhibet rem esse; scientia vero docet cur ^{cedens in quod.} res ita esse debeat. Dicitur 2° per rationes ultimas: hæc enim scientia, utpote pars *Philosophiæ*, versatur circa rationes seu causas, non quascumque, sed simpliciter ultimas ordinis moralis. Hinc *Philosophia moralis* differt a *Jurisprudentia*, a *Pædagogica* etc., quæ quidem de rebus moralibus tractant, sed ultimas rationes ordinis moralis non investigant. Dicitur 3° ordinis moralis: nimirum objectum materiale, circa quod *Philosophia moralis* versatur, sunt actus humani; objectum vero formale quod, seu specialis ratio, sub qua actus humani hic considerantur, est

2y 2 mit allen worten
nicht bedien nimmer
leer nicht de w. th. d.

ipsa *moralitas* seu ordo convenientiæ cum regulis morum et fine ultimo. „Moralis Philosophiæ proprium est considerare actiones humanas, secundum quod sunt ordinatæ ad invicem et ad finem.”¹⁾ Hinc patet quomodo Philosophia moralis differat ab aliis Philosophiæ partibus; siquidem istæ vel non habent idem objectum *materiale*, ut v. g. *Theologia naturalis*, vel saltem non habent idem objectum *formale*, ut v. g. *Psychologia*, quæ quidem disserit de actibus humanis, sed mere secundum ipsorum esse *physicum*. Dicitur 4^o *naturali lumine rationis*; philosopho enim nihil aliud de moribus pronunciare licet, nisi quod ex naturalibus principiis deducere et demonstrare possit. Hinc Philosophia moralis differt a *Theologia morali*.

habet objectum materiale
 et idcirco huiusmodi
 objectum formale de
 re et de materia et
 de re et de materia et
 de re et de materia et
 de re et de materia et

III. Philosophia moralis est scientia practica.

„Cum enim Philosophia vel artes per theoreticum et practicum distinguuntur, oportet accipere distinctionem eorum ex fine, ut practicum dicatur id, quod ordinatur ad operationem, theoreticum vero quod ordinatur ad solam cognitionem veritatis.”²⁾ Atqui finis hujus scientiæ est actus humanus; „non enim in hac scientia scrutamur, quid sit virtus, ad hoc solum ut sciamus hujus rei veritatem; sed ad hoc, quod acquirentes virtutem, boni efficiamur.”³⁾

quod dicitur eam

habet objectum
 et idcirco huiusmodi
 objectum formale de
 re et de materia et
 de re et de materia et
 de re et de materia et

IV. Fons proprius et subsidia extrinseca Philosophiæ moralis. Ut ex definitione colligitur, fons proprius hujus scientiæ sunt principia naturalia, ex quorum analysi et comparatione omnes conclusiones morales derivantur. Attamen duo potissimum subsidia

¹⁾ In *I Ethic.* lect. I. — ²⁾ Super Boeth. *De Trinit.* lect. II, q. 1, a. 1 ad 4. — ³⁾ In *II Ethic.* lect. III.

extrinseca ipsi necessaria sunt, scil. divina *Revelatio* et *Historia*:

1^o *Divina Revelatio*. Philosophus regulas morum in ipsa natura et essentialibus rerum relationibus, tamquam in proprio fonte, investigare debet, simul tamen prae oculis habeat divinam revelationem, veluti *rectricem stellam*, ne a veritatis via aberret. Quamvis enim ratio humana per se non paucas veritates morales cognoscere valeat, prae innata tamen ejus infirmitate, sensuum illecebris, omnigenisque obstaculis, *in presenti statu generis humani*, divina revelatio ipsi moraliter necessaria est, ut sine errore ad talem veritatum moralium cognitionem pertingat, quae sufficiens sit, ut homo suum finem naturalem consequi possit. ¹⁾

Ad hanc necessitatem divinæ revelationis stabilendam advertisse sufficiat, omnes nationes divina revelatione destitutas in turpissimos errores morales fuisse prolapsas, nec unquam humana sapientia fuisse ex ignorantiae tenebris eductas. Et sane, philosophorum veterum, qui beneficio fidei caruerunt, etiam qui habebantur sapientissimi, deterrime errarunt; cumque iterum, adnitentibus Novatoribus sæc. XVI, placuisset philosophari citra quempiam ad fidem respectum, non modo errores pagani revixerunt, sed hac nostra præsertim ætate, tam absurda et impia placita prodie-

¹⁾ Dicitur: „*in presenti statu generis humani*.” Non negamus Deum potuisse alio modo succurrere infirmitati humanæ, unde simpliciter loquendo revelatio moraliter necessaria dici nequit pro statu *naturæ puræ*, quia Deus in illo statu præparasset alia media, huic statui proportionata, quibus cognitio veritatum moralium et assecutio finis ultimi redderetur *moraliter possibilis*. Conf. Franzelin, *De Traditione et Scriptura*. De habitudine nat. hum. ad div. fidem, cap. 3, N. III.

runt, ut si iis vitam humanam superstruere possibile foret, omnis morum honestas, omnis pariter societas funditus everteretur. Quod si philosophia incredula per tot sæcula in vanum laboravit ad veritatem assequendam et populos erudiendos, se quoque in posterum huic muneri plane ineptam fore abunde comprobavit.

„Quapropter qui Philosophiæ studium cum obsequio fidei Christianæ conjungunt, ii optime philosophantur: quandoquidem divinarum veritatum splendor, animo exceptus, ipsam juvat intelligentiam; cui non modo nihil de dignitate detrahit, sed nobilitatis, acuminis, firmitatis plurimum addit.” ¹⁾(X)

2º Historia. Hanc enim merito dixit Tullius: „*testem temporum, lucem veritatis, vitam memoriæ, nuntiam vetustatis, magistram vite.*” ²⁾ Historia siquidem nos docet quibus moralitatis principiis, per omnes temporum et locorum vicissitudines, genus humanum constanter fuerit imbutum; istiusmodi autem principia non nisi a communi aliquo veritatis fonte, i. e. vel a *natura rationali* vel a *divina revelatione* promanare potuerunt.

V. **Habitudo inter Philos. mor. et Theol. mor.**

Quamvis utraque scientia tractet de actibus humanis ad ultimum finem comparatis, differunt tamen inter se, non vero inter se pugnant.

Differunt / ratione fontis // ratione certitudinis // ratione

¹⁾ Leo XIII, in Encycl. *Æterni Patris*, 4 Aug. 1879, Tom. I, pag. 95. (Leonis XIII Allocutiones, etc. Desclée, de Brouwer et soc. Brugis et Insulis 1887). Conf. *Syll.* X et XIV; Conc. Vatic. Constit. *Dei Filius*, cap. 2 et 4; Conc. Ultraj. tit. 1, cap. 3. — ²⁾ *De oratore*, lib. 2, cap. 9.

*Revelata Kantus
dicitur et subiectum
ad hoc. De hinc de
Theologia moralis
per Kantum dicitur
de hinc de moralibus
de hinc de moralibus*

objecti. 1^o *Ratione fontis*; siquidem Philosophia moralis ex sola ratione naturali, ex principiis naturalibus, Theologia vero ex divina revelatione veritates morales mutuatur et demonstrat. Hinc differunt 2^o *ratione certitudinis*, nam „aliæ scientiæ certitudinem habent ex naturali lumine rationis humanæ quæ potest errare; hæc (Theologia) autem certitudinem habet ex lumine divinæ scientiæ, quæ decipi non potest;” 1) etenim „hujus scientiæ principium proximum est fides; sed primum est intellectus divinus, cui nos credimus.” 2) 3^o *Ratione objecti*; Philosophia moralis per se tantum spectat ordinem naturalem, i. e. considerat hominem ut *creaturam rationalem* naturaliter subiectum legi naturali et a Creatore ordinatum in finem seu beatitudinem *naturalem*. E contra Theologia multa complectitur, quæ supernaturali Dei ordinatione ordini naturali *superadduntur*, i. e. considerat hominem, non mere ut *creaturam rationalem*, sed præterea ut *Christianum*, gratuita Dei Bonitate ad *supernaturalem* ordinem gratiæ et gloriæ elevatum, necnon legibus positivis subiectum.

Hanc Theologiæ dignitatem extollens, præclare S. Bonaventura dicit: „Philosophia quidem agit de rebus, ut sunt in natura, seu in anima secundum notionem naturaliter insitam, vel etiam acquisitam. Sed Theologia, tamquam scientia supra fidem fundata et per Spiritum S. revelata, agit et de iis, quæ spectant ad gratiam et gloriam, et etiam ad Sapientiam æternam. Unde ipsa, substernens sibi philosophicam cognitionem, et assumens de naturis rerum, quantum sibi

1) 1. q. 1, a. 5. — 2) Super Boeth. *De Trinit.* q. 2, a. 2, ad 7.

opus est ad fabricandum speculum, per quod fiat representatio divinorum, quasi scalam erigit, quæ in sui infimo tangit terram, sed in suo cacumine tangit cælum." 1)

Inter se non pugnant. — „Etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest; cum idem Deus, qui mysteria revèlat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit; Deus autem negare seipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere." 2)

VI. **Philosophiæ moralis præstantia.** Cum Philosophia moralis non versetur in nuda veritatis contemplatione, sed mores humanos informare intendat, facile perspicitur ipsam sub hoc respectu præcellere Philosophiæ theoreticæ. Quinimo inter ipsas practicas scientias humanas ipsa primum locum occupat. Quod enim de sacra doctrina aiebat Angelicus, merito huic scientiæ applicatur: „Practicarum scientiarum illa dignior est, quæ ad ulteriorem finem (non) ordinatur.... Finis autem hujus doctrinæ, in quantum est practica, est beatitudo æterna, ad quam sicut ad ultimum finem ordinantur omnes alii fines scientiarum practicarum. Unde manifestum est secundum omnem modum eam digniorem esse aliis." 3)

Philosophiæ moralis utilitas. Quod si in moribus informandis pro vita privata maximam utilitatem habet, in ipsam quoque vitam socialem, tum domesticam tum civilem, saluberrimum exercet influxum. Nemo enim ignorat familiarum et civitatum perturba-

1) *Breviloq.* Prologus, § 3; Conf. 1. q. 1, a. 5, 6. — 2) Conc. Vatic. Constit. *Dei Filius*, cap. 4. — 3) 1. q. 1, a. 5.

*Practicarum scientiarum
dignior est
quæ ad ulteriorem finem
ordinatur...
Finis autem hujus doctrinæ
est beatitudo æterna
ad quam sicut ad ultimum
finem ordinantur omnes alii
fines scientiarum practicarum.
Unde manifestum est
secundum omnem modum
eam digniorem esse aliis.*

*multis modis
particularibus
societate, tum
domestica, tum
civili*

tiones, quibus tantopere exagitur calamitosa ætas nostra, exinde fuisse profectas quod prava de divinis humanisque scita e scholis philosophorum in omnes civitatis ordines irreperint. ¹⁾

Religioni Christianæ quoque *Philosophia moralis non exiguum præstat famulatum* ¹⁾ tum quatenus *Deo revelanti obediendi naturalem obligationem demonstrat*, et incredulorum animos ad revelationem, divina opitulante gratia, suscipiendam convenienter præparat; tum ex eo, quod multa præcepta Christiana ex ipsa rationis fundo educit et ab impiorum cavillationibus vindicat. „Neque mediocriter, inquit Leo XIII, in eo triumphare fides Christiana censenda est, quod adversariorum arma humanæ rationis artibus ad nocendum comparata, humana ipsa ratio potenter expediteque repellat.” ²⁾

indirectly revealed
sp. b. sig. 98/8

Donde Moral II
Philosophia hinc
est ratio de
revelatione de bono
naturaliter derivat
ten.

VII. *Philosophiæ moralis divisio.* ¹⁾ S. Thomas et

Veteres passim nomine *Juris naturalis* intelligebant totam legem naturalem, tum quoad ejus partem *pure moralem*, tum quoad ejus partem *strictè juridicam*, et hanc ob causam universam *Philosophiam moralem* vocabant *Jus naturæ*. ²⁾ Primus *Thomasius*, † 1728, doctrinam *Juris a Philosophia morali*, tamquam scientiam plane distinctam, sejungere cœpit. ³⁾ *Juris* vero a Moralitate omnimodam separationem et independentiam complevit *Kant*, † 1804, proclamando *Philosophiam moralem* et *Philosophiam Juris* esse duas scientias penitus separatas, quarum prior actiones *internas*, altera actiones *externas* respiciat.

redung ebendes d. d. ins
leere. Holw. m. d. g. m. d.
God. n. d. d. d. d. d. d.
d. d. d. d. d. d. d. d. d.
d. d. d. d. d. d. d. d. d.
d. d. d. d. d. d. d. d. d.
d. d. d. d. d. d. d. d. d.
d. d. d. d. d. d. d. d. d.
d. d. d. d. d. d. d. d. d.
d. d. d. d. d. d. d. d. d.
d. d. d. d. d. d. d. d. d.

¹⁾ Conf. *Encycl. Æterni Patris*, p. 89. — ²⁾ *Æterni Patris*, p. 93.

4^o At vero, admissa *distinctione* inter ordinem pure moralem et ordinem stricte juridicum, utriusque ordinis *separatio* admitti nequit, quia ordo juridicus essentialiter moralis est, et tamquam pars in toto, in ordine morali continetur. Hinc nomine *Philosophiæ moralis* complectimur simul *Philosophiam Juris*. Hoc autem posito, inter diversas, quæ ab Auctoribus proponuntur, partitiones, ¹⁾ eam seligimus, quæ Philosophiam moralem in duas partes dividit, scil. in *Ethicam generalem* et *Ethicam specialem*.

1^o *Ethica generalis* tradit *generalia* morum principia, tum mere ethica seu moralia, tum stricte juridica. 2^o *Ethica specialis* ad particularia progrediens *generalia illa morum principia applicat ad particulares materias*, ad speciales condiciones et relationes, in quibus homines sunt constituti, ut inde naturalia officia et jura deducat.

¹⁾ Conf. Liberatore, *Instit. Ethic.* Introd.; Taparelli, *Essai théorique de Droit naturel*, Introd.; Stöckl, *Ethik* initio; Meijer, *Instit. Juris nat.* Proœm.

in natuurlijke
 Inzag niet
 real vergescheiden
 moralis van de
 ethica.
 In natuurlijke is slechts een
 onderscheid van de ethica
 door zij behorende te verplijten
 door aangewante overeenkomst

Implicite de Ethica Generale
 Het Goddelijke beginsel
 Ethica Speciale is verplijten
 per de andere kant is het
 een verplijten tot goed te doen

Pars I.

ETHICA GENERALIS

COMPLECTENS

PRINCIPIA GENERALIA ORDINIS MORALIS NATURALIS.

Partitio Ethicæ generalis.

Ethicam generalem in *sex capita* dividemus, quorum *primum* disserit de *fine ultimo* naturæ humanæ; *secundum* et *tertium* de *actibus humanis*, tum *physice*, tum *moraliter* spectatis, quibus veluti totidem gressibus homo viator ad ultimum terminum tendit. *Caput quartum* tractat de *habitibus bonis et malis*, quibus potentiæ rationales bene vel male disponuntur in ordine ad actus humanos. *Caput quintum* agit de *moralitatis normis completis*, quibus actus humani conformari debent, ut finem ultimum attingant. *Capite sexto* exponuntur generalia principia de *juribus et officiis*.

Caput I.

De ultimo fine naturæ humanæ.

1. Prænot. I. Quoniam *Ethica* actiones humanas considerat in ordine ad ultimum finem, in ipso hujus scientiæ limine de ultimo fine dicendum est; oportet enim, ut ea quæ ad finem ordinantur, sint fini proportionata; et ideo ratio eorum ex ipso fine est desu-

Page 103 vgl

1. Ethica dicitur de ultimo fine
2. Ethica dicitur de ultimo fine
3. Ethica dicitur de ultimo fine
4. Ethica dicitur de ultimo fine

menda. Finem autem intellige non finem *hominis operantis*, sed finem operis, seu finem ab Auctore naturæ ipsi naturæ humanæ præstitutum.

II. Porro circa finem ultimum quæritur: 1^o *Utrum natura humana sibi aliquem finem ultimum præfixum habeat, et in quo ille finis consistat*; 2^o *in quo constituta sit beatitudo humana*; 3^o *quid sit beatitudo naturalis et supernaturalis*; 4^o *utrum resurrectio carnis ad beatitudinem naturalem pertineat*; 5^o *quaenam sit destinatio hujus vitæ mortalis.*

non de beatitudine
supernaturali in
resurrectio non habet
a quibus quibus
sibi. ngl. est al. lca
quibus sicut dicit
operantur & Cyp

ARTICULUS I.

Utrum natura humana sibi aliquem finem ultimum præfixum habeat, et in quo ille finis consistat.

§ I.

Notiones præviæ de fine et bono.

2. **Notio finis.** *Finis*, ut in *Ontologia* explicatur, definitur: *Id, cujus gratia aliquid fit*, seu id, quod per appetitum sui, causam efficientem creatam ad agendum allicit. Hinc S. Thomas: „*Sicut influere causæ efficientis est agere, ita influere causæ finalis est appeti et desiderari*”¹⁾

non est de beatitudine
facta ut de beatitudine
alios immo

Ista motio causæ finalis, licet vera sit et realis, non tamen est physica sed *moralis*, quæ dicitur amoris et desiderii. Procedit autem ista motio ab aliqua *bonitate*, sive vera sive apparente, quæ in fine *apprehenditur*; appetitus enim non est nisi boni; „et ideo dicit Philosophus, quod philosophi bene enuntiaverunt, *bonum esse id, quod omnia appetunt.*”²⁾ Nec est *instantia* de qui-

¹⁾ *De veritate*, q. 22, a. 2. — ²⁾ Sensus est: omnia cum appetunt non nisi bonum appetunt.

busdam, qui appetunt malum. Quia non appetunt malum, nisi *sub ratione boni*, in quantum scilicet *existimant* illud bonum; et sic intentio eorum *per se* fertur ad bonum; sed per accidens cadit supra malum." ¹⁾

3. Finis et bonum. Quoniam itaque omnia, cum appetunt, non nisi bonum appetunt, consequitur *bonum* et *finem*, etsi in suo *formali conceptu* differunt, *materialiter* seu *objective* converti; siquidem unus et idem actionis terminus vocatur *bonum*, quatenus appetitui *convenit*, et vocatur *finis*, quatenus per illam convenientiam *allicit* causam efficientem ad agendum.

4. Triplex ratio boni. Pro diversa ratione appetibilitatis triplex ratio boni distinguitur: 1^o *utilitas*, 2^o *honestas*, 3^o *delectabilitas*.

1^o *Utilitas* est aptitudo alicujus rei ad aliud bonum consequendum; quo modo medicina utilis est ad sanitatem recuperandam.

2^o *Honestas* est convenientia alicujus rei cum natura rationali adæquate spectata; adeoque bonum honestum propter se appetitur, *quia decet*. Tale bonum est virtus.

3^o *Delectabilitas* est aptitudo alicujus rei ad satiandum appetitum. Quies illa, quam appetitus in possessione boni invenit, dicitur *voluptas*, seu *delectatio*.

Porro voluptas pro duplici hominis appetitu, scil. rationali et sensitivo, pariter duplex est, una *spiritualis*, quæ consequitur operationem mentis; altera *corporalis* seu *sensitiva*, quæ ope sensuum percipitur. Scientia spirituales, cibus sensitivam voluptatem affert. ²⁾

5. Bonum finale. Cum ratio causæ finalis in eo

¹⁾ In *I Ethic.* lect. 1; Conf. 1. 2. q. 8, a. 1; *c. Gent.* lib. 3, cap. 3.
— ²⁾ 1. q. 5, a. 6; 2. 2. q. 145, a. 3.

consistat, quod *sui* bonitate moveat, hinc solum bonum honestum et delectabile rationem finis habent; e contra bonum utile, nisi simul rationem honestatis vel delectabilitatis contineat, non finis, sed *merum medium* est. ¹⁾

6. Finis distinguitur multiplex.

A. *Finis operis et operantis.* — *Finis operis* seu *intrinsicus* est illud, ad quod res vel opus ex natura sua ordinatur. Indicare horas est finis intrinsicus horologii; sublevare pauperes est finis intrinsicus eleemosynæ.

Finis operantis seu *extrinsecus* est illud, quod operans proprio arbitrio intendit, sive illud cum fine intrinsico coincidit, sive non coincidit. Operans in eleemosyna intendere potest sublevamen miserix, vanam gloriam, vel quidpiam aliud.

B. *Finis qui* (*cujus, materialis, objectivus*) et *finis quo* (*subjectivus, formalis*) et *finis cui*.

Finis qui est ipsa res, quæ appetitur. *Finis quo* est ipsius rei assecutio. *Finis cui* est subjectum, cui res appetitur.

Hæc tamen divisio non importat diversas *species* adæquatas, sed solummodo diversas *partes*, ex quibus integra ratio *unius finis totalis* coalescit.

C. Ratione *terminationis* finis est *ultimus* vel *intermedius*.

Finis ultimus est ille, quem propter se volumus, cætera vero propter ipsum. Finis iste rursus est *ultimus absolute* seu *simpliciter*, vel tantum *relative* seu *secundum quid*, prout nimirum ultimus est in *omni* ordine rerum,

¹⁾ 1. q. 5, a. 6, ad 2.

vel in aliquo *determinato* ordine dumtaxat. Ita v. g. victoria est finis relative ultimus belligerantium; gloria Dei est finis absolute ultimus totius mundi.

Finis ultimus negative et positive. Est negative ultimus, quando agens ipsum non ordinat in finem ulteriorem, quin tamen finem ulteriorem excludat.

Est positive ultimus, quando non solum non ordinatur in finem alium, sed finis ulterior præterea excluditur.

Finis intermedius est ille, qui quidem propter se intenditur (secus esset purum medium), sed ita ut referatur in finem ulteriorem. — Finis intermedius, qui immediate attingitur, vocatur finis *proximus*; qui non attingitur nisi alio fine interposito, vocatur finis *remotus*. Adeptio scientiæ finis proximus, munus honorificum finis remotus studiorum esse potest.

D. Ratione *causalitatis* finis est *totalis* vel *partialis*. — *Finis totalis* seu *unicus* est, quando ipse solus in actionem influit, ut si quis daret eleemosynam unice propter vanam gloriam.

Finis partialis est, quando simul cum ipso alius finis ad agendum influit; ut si quis daret eleemosynam ad remissionem peccatorum obtinendam et simul ex vana gloria. — Iste finis partialis rursus est vel *primarius* vel *secundarius*. Est *primarius* seu *principalis*, quando ab agente intenditur ita, ut sine illo penitus non ageret, et propter ipsum actio poneretur etiam si alii fines abessent. Quod si sine ipso equidem actio fieret, dicitur *secundarius* seu *accessorius*.

Ort E Pag. 57. 5.

7. **Omnia agunt propter aliquem finem.** Omnis enim causa efficiens agit ad aliquem effectum *determinatum* producendum. Iste autem determinatus effec-

tus habet rationem finis; nam finis est id, cujus gratia aliquid fit. ¹⁾ Præterea omnia agentia intendunt aliquod bonum, ad quod vel seipsa dirigunt, vel ab Auctore naturæ diriguntur. Atqui istud bonum est causa appetitivæ motionis ipsorum. Ergo.

55. **Omnia agunt propter aliquem finem ultimum.**

56. Finis enim, propter quem agens operatur, est vel finis ultimus, vel finis intermedius, qui non movet nisi virtute alicujus finis superioris. — Atqui in finibus intermediis non est abire in infinitum: sublato siquidem fine ultimo, ipsi fines intermedii deficerent, atque eo ipso causa efficiens non ageret.

Quod etiam *homini*, ut naturaliter in finem determinato, propter finem agere conveniat, ex dictis intelligitur. Attamen homo, etiam in quantum *libere* agit, semper propter aliquem finem operatur. Quamvis enim libertas importet dominium actuum, ipsa tamen non potest mutare naturam potentiarum, neque essentialem ordinem, quem quælibet potentia ad suum objectum habet. Atqui objectum adæquatum voluntatis est bonum ratione apprehensum et voluntati propositum. — Porro bonum istiusmodi est id, cujus gratia voluntas operatur. ²⁾

8. Quamvis omnia propter finem agant, non tamen agunt eodem modo. Quandoquidem finis non movet nisi cognitus, pro triplici modo *cognoscendi* finem triplex pariter modus operandi propter finem distinguitur.

Primus modus est, cum cognitio objecti non est in agente, sed in Deo. Hoc modo res naturales cognitione destitutæ, v. g. plantæ, *naturali* appetitu ad finem ten-

¹⁾ c. *Genl.* lib. 3, cap. 2. — ²⁾ l. 2. q. 1, a. 1.

out II Pag 34. 5

dunt, non a se cognitum, sed a Creatore ipsis præfixum.

Alter modus est, cum cognitio objecti est quidem in agente, sed solummodo ita, ut agens rem, quæ finis est, *materialiter per sensus* cognoscat, non vero rationem formalem finis et proportionem mediorum ad finem. Hoc modo bruta appetitu *sensitivo* ad finem tendunt.

Tertius modus est, cum cognitio objecti est in agente et quidem ita, ut non tantum rem, quæ finis est, *materialiter* cognoscat, sed etiam *formaliter*, seu in ipsa re rationem formalem finis et proportionem mediorum ad finem perscipiat. Iste modus cognoscendi competit solis entibus *intellectualibus*, quorum proprium est rerum naturas et relationes intelligere. Hoc modo homo appetitu *rationali* proprie *propter finem* operatur et *seipsum ad finem movet*. ¹⁾ Hinc scholastica distinctio: agere propter finem vel *mere executive*, vel *apprehensive*, vel *directive*. ²⁾ *vel ut dicitur in philosophia*

9. Homo duplici modo actus suos in finem refert: scilicet vel per relationem *actualement* vel per relationem *virtualem*, eamque iterum vel *explicitam* vel *implicitam*.

^(intentio)
Relatio actualis habetur, quando homo in aliquem finem tendit per actum deliberatum et reflexum, seu quando actuali et expressa volitione intendit finem a se cognitum et cogitatum.

^(intentio)
Relatio virtualis explicita habetur, quando quis vi intentionis præteritæ non retractatæ operatur et media eligit, quamvis actu de fine non cogitet; ut dum medicus ex priori intentione præparandi medicinas ad ægrotum sanandum herbas colligit, quin hic et nunc de ægroto cogitet.

¹⁾ 1. 2. q. 1, a. 2; c. *Genl.* lib. 3, cap. 16.

de intentione a actu
Nomen de sub modo
dicitur habet et cum
dicitur in philosophia
nec h. de intentione
suarum h. de intentione

tionibus et electionibus non potest in infinitum procedi, sed deveniendum necessario est ad aliquem ultimum finem, ita in singulis rebus necesse est, ut tota natura inclinetur ad aliquid ultimum." ¹⁾

§ III.

Quisnam sit finis ultimus naturæ humanæ.

11. Prænot. Finem ultimum naturæ humanæ investigantes, distinguamus inter finem *absolute ultimum totius ordinis creati*, adeoque et naturæ rationalis, a Creatore intentum, et inter finem ultimum *naturæ humanæ intrinsece proprium*. Omnis siquidem natura, præter finem illum universalem *extrinsecum*, habet suum finem proprium, specificum, *intrinsecum*, in quo ultima ipsius perfectio continetur; in hoc autem fine proprio consequendo quælibet natura, ut pars universi, ad finem universalem totius universi concurrat. Hinc quæstionem duplici sectione tractabimus.

SECTIO I.

Quisnam sit finis absolute ultimus totius mundi, adeoque et ipsius naturæ humanæ.

12. Prænot. Ut quæstio rite solvatur, distinguendum est inter finem *cui*, seu *subjectum*, in quod ali- quod bonum ordinatur, et inter finem *qui*, seu *ipsum bonum*, quod ordinatur in finem *cui*. Qua distinctione posita, respondemus: 1^o finis ultimus *cui* omnium rerum est bonitas divina, i. e. essentia divina, infinitum omnium bonorum pelagus; 2^o finis ultimus *qui* est glo-

¹⁾ Suarez, *De ult. fine*, Disp. 3, s. 1, N. 1.

de secunda parte huius
 aliquid esse in fine
 proprium. Sed
 ad finem ultimum
 : notatur quod dicitur
 ad finem ultimum
 quod dicitur ad finem
 finem ultimum ab
 solute glorie
 hoc dicitur

in cuius = sub
 lectum naturam
 huius quod huius
 subjectum = bonitas
 dei et quod huius
 finem ultimum est
 huius et quod

perfectio mixta. i. e. quod aliam moralem ammittit
omni die perfectio est involuente sed insitit h. e. hanc hanc
clarum legit quod est moralem formaliter moralem aliam enim

proin Esse secundum perfectam rationem habet. Atqui Deus non esset infinite perfectus, si aliqua perfectio simpliciter simplex *formaliter* i. e. secundum verissimam sui rationem in Deo non contineretur. Ergo. ¹⁾

*quod est formaliter
formale aliam
Loo nio. de sora
h. e. seipsum a die
seipsum a seipso.
nec non a ander
du. nos h. e. a seipso
h. e.
du. a seipso a seipso
i. e. a seipso a seipso*

Prob. II. *Ex perfectione nature divine.* Si finis ultimus mundi esset aliquod ens a Deo distinctum, Deus creationem, conservationem et concursum ad singulos actus creaturarum ad illud ens accommodare et dirigere deberet, ita ut in eo sisteret. Hoc autem importat subordinationem, servitium, dependentiam. Atqui hæc omnia evidenter repugnant Enti infinite perfecto. Ergo.

Prob. III. *Ex ratione cause prima.* Deus, ut causa prima omnium creaturarum, est essentialiter Dominus absolutus omnium. Etenim ille est essentialiter dominus absolutus omnium, a quo omnia essentialiter et absolute pendent. Atqui dominus absolutus omnium etiam necessario est finis *cui* omnia absolute subordinantur, omnia serviunt. Ergo Deus causa prima etiam est causa finalis absolute ultima. Hinc est, quod dicitur: „Ego sum Alpha et Omega, primus et novissimus.” Apoc. XXII, 13. ²⁾

PROPOSITIO II.

Finis absolute ultimus qui totius creationis, adeoque et nature humanae, est gloria Dei externa.

14. Prænot. „Notandum, inquit Lessius, gloriam dupliciter accipi. Primo pro quavis excellentia *interna* vel *externa*, ratione cujus dignus est quis cognos-

¹⁾ l. q. 7, a. 1. In *I Sent.* Dist. 2, q. 1, a. 2, sol. — ²⁾ Conf. Costa-Rossetti, *Synopsis Philos. mor.* cap. 1, s. 1.

esse potest, nisi *gloria externa*, i. e. ut perfectiones divinæ per perfectiones creatas manifestentur creaturis rationalibus Ab istis vero cognoscantur, amentur et laudentur.

16. Quam sanæ Philosophiæ doctrinam tradit quoque *Concilium Vaticanum*: „Deus bonitate sua et omnipotenti virtute, non ad augendam suam beatitudinem, nec ad *acquirendam*, sed ad *manifestandam* perfectionem suam per bona, quæ creaturis impertitur, liberrimo consilio de nihilo condidit creaturam.” Et iterum: „Si quis mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit, anathema sit.” ¹⁾

17. **Duplex est modus Deum glorificandi.** Ex iis, quæ de gloria *objectiva* et *formali* diximus, consequitur glorificationem Dei esse vel *mere objectivam*, vel *etiam formalem*.

I. *Glorificatio mere objectiva.* Creaturæ *irrationales* suum Conditorum formaliter glorificare nequeunt, suo tamen modo, i. e. *objective* gloriam Dei enarrant; „invisibilia enim Ipsius, a creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas.” ²⁾

I Quemadmodum operis præstantia ipsius opificis ingenium pandit, ita omnes res creatæ sua pulchritudine manifestant excellentiam Creatoris, et quidem eo magis, quod Deus non tantum est omnium creaturarum causa efficiens, sed etiam causa exemplaris; omnes enim perfectiones creatæ sunt quædam obscuræ adumbrationes, quædam deficientes participationes essentiæ divinæ. Una

¹⁾ Constit. *Dei Filius*, cap. 1, et can. 5. — ²⁾ *Rom.* 1, 20.

in se simplicissima perfectio divina innumeris modis in diversissimis mundi perfectionibus splendet, sicut radius solaris in diversis coloribus primate dissectis. ¹⁾

II Quod si creaturæ *singulæ*, sua pulchritudine, varietate, virtute, aliquod *vestigium* vel, si de creaturis rationalibus sermo est, etiam aliquam *imaginem* divinarum perfectionum in se impressam habent, ²⁾ „quanto magis *omnia simul*, id est, ipsa universitas, quæ istis singulis in unum collatis completur. Omnis enim pulchritudo, quæ partibus constat, multo est laudabilior in toto, quam in parte.” ³⁾

III Huc inprimis pertinet *ordo teleologicus*, quo singulæ partes universi ad invicem, et totum universum ad unum universalem finem ordinatur. ⁴⁾ Hunc ordinem S. Thomas generali quasi conspectu adumbrat, aiens:

„Considerandum est quod ex omnibus creaturis constituitur totum universum, sicut totum ex partibus. Si autem alicujus totius et partium ejus velimus finem assignare, inveniemus primo quidem, quod singulæ partes sunt propter suos actus; sicut oculus ad videndum. Secundo vero, quod pars ignobilior est propter nobilitatem; sicut sensus propter intellectum Tertio vero, omnes partes sunt propter perfectionem totius; sicut et materia propter formam; partes enim sunt quasi materia totius. Ulterius autem, totus homo est propter aliquem finem extrinsecum, puta ut fruatur Deo.

¹⁾ Conf. Tallium, *-De natura deorum*, lib. 1, cap. 28; Lessium, *De perf. div.* lib. 14, cap. 4. — ²⁾ l. q. 93. — ³⁾ S. Aug. lib. 1 *de Gen. c. Manich.* cap. 21. — ⁴⁾ l. q. 65, a. 2. Circa causas finales vide Sanseverino, *Cosmol.* cap. 6, a. 3; Stöckl, *Cosmol.* § 119 seqq.; Pesch, *Instit. Philos. nat.* N. 82 seqq.; Onze Wachter, 1877, *De Eindoorzaken*; Studiën op Godsdiënstig, Wetensch. en Letterk. Gebied, 1878, *De Eindoorzaken*.

Sic igitur et in partibus universi unaquæque creatura est propter suum proprium actum et perfectionem. Secundo autem, creaturæ ignobiliores sunt propter nobiliores; sicut creaturæ, quæ sunt infra hominem, sunt propter hominem. Singulæ autem creaturæ sunt propter perfectionem totius universi. Uterius autem, totum universum cum singulis suis partibus ordinatur in Deum, sicut in finem; in quantum in eis per quamdam imitationem divina bonitas representatur ad gloriam Dei." ¹⁾

II. *Glorificatio formalis.* Homo exquisitiori modo in se complectens quidquid perfectionis in naturis inferioribus inveniatur, et longe nobiliorem perfectionem, scilicet *intelligentiam* adeptus, quasi annulus est, quo mundus visibilis cum invisibili copulatur. Cum igitur nullum sit creaturæ genus, quod in homine non possit agnosci, homo *microcosmos* seu parvus mundus, merito est appellatus. ²⁾ Quoniam itaque homo sua perfectione omnes creaturas irracionales multo excedit, perfectior quoque divinæ bonitatis assimilatio, imo, propter naturam intellectualem, quædam imago divini Artificis in homine manifestatur. ³⁾ Hinc gloria Dei *objectiva* eminentiori modo in homine resplendet.

At vero homo, cum intellectum et voluntatem habeat, Deum attingere potest sua operatione, cognoscendo et amando. ⁴⁾ Potest et debet itaque Deum glorificare *formaliter*, perfectiones divinas cognoscendo, cognitæ vero amando et laudando. Et re quidem vera, unaquæque

¹⁾ I. q. 65, a. 2. — ²⁾ Cum in homine quodammodo tota rerum universitas reperitur, hinc omnis creatura per *Inarnationem Verbi* singularem quamdam accepit dignitatem; siquidem, homine assumpto, totum universum quodammodo assumptum et divinitati connexum est. Conf. Lessium, *De perf. div.* lib. 12, cap. 4. — ³⁾ I. q. 93. — ⁴⁾ I. q. 65, a. 2.

creatura ordinatur ad Deum glorificandum modo sibi congruo; Deus autem vult gloriam *formalem*, quæ est complementum et finis gloriæ objectivæ, imo sola vere digna nomine gloriæ.

Hanc creaturæ rationalis destinationem præclare expressit Lactantius: „Sicut mundum propter hominem machinatus est, ita ipsum propter se, tamquam *divini templi antistitem, spectatorem operum rerumque celestium*. Solus est enim, qui sentiens capaxque rationis intelligere possit Deum, qui opera ejus admirari, virtutem potestatemque perspicere: idcirco enim consilio, mente, prudentia instructus est. Ideo solus præter cæteras animantes rectus corpore ac statu factus est, ut ad contemplationem parentis sui excitatus esse videatur. Ideo sermonem solus accepit ac linguam cogitationis interpretem, ut enarrare majestatem Domini sui possit. Postremo, idcirco ei cuncta subjecta sunt, ut factori atque artificii Deo esset ipse subjectus.” ¹⁾

18. Hinc solus homo in Deum ordinatur immediate; creaturæ irrationales mediante homine.

Homo siquidem, nulla alia creatura interposita, suo intellectu et voluntate immediate Deum attingit Ipsumque glorificat. Et contra irrationalia, ut ait S. Augustinus, „Illum confitentur, omnia clamant; omnium pulchritudo quodammodo vox eorum est confitentium Deum. . . . Quomodo ergo clamant ista? *Quando considerantur . . . ex tua consideratione clamant, ex voce tua clamant.*” ²⁾

Ordinantur itaque creaturæ irrationales ad homini manifestandas divinas perfectiones, atque ad ipsum excitandum, ut Deum formaliter glorificet.

¹⁾ *De ira Dei*, cap. 14. — ²⁾ *In Psalm.* 148.

ap. h. 19. **Hinc homo nulli creaturæ subordinatur; e contra homini, tamquam fini proximo, subordinantur creaturæ irrationales.** „Deus, inquit Lessius, ita est finis ultimus naturæ rationalis, ut etiam sit ejus finis *proximus*, cum non sit aliquid infra Deum, ad cujus gloriam vel commodum ipsa possit ordinari. *Unde solus Deus est finis immediatus, ad cujus solius gloriam ipsa est condita.*” ¹⁾ Ex hac autem immediata et exclusiva destinatione ad Deum glorificandum profluit *dignitas, independentia* personæ humanæ, quæ nullius creaturæ servitio tamquam *merum medium* obnoxia fieri potest.

„Verum, naturæ irrationalis Deus ita est finis ultimus, ut ipsa etiam alium finem habeat, ad quem proxime natura sua destinetur, nempe naturam humanam, ad cujus obsequium mundus iste corporeus, cum omnibus rebus corporalibus, quæ ipso continentur, conditus est.” ²⁾

const. **20. Subordinatio creaturarum irrationalium colligitur ex eo, quod servitio et utilitati humanæ sunt naturaliter accommodatæ, tum ex eo, quod homo naturaliter earum servitio indiget.**

Naturaliter accommodatæ sunt servitio humano. Et sane res mundanæ præstant homini, quatenus *animal* est, habitaculum, nutrimentum, vestitum, oblectamentum etc.; præstant homini, quatenus *rationalis* est, institutionem intellectualem, moralem, religiosam. ³⁾

Homo naturaliter indiget earum servitio. Et quidem quatenus *animal* est, indiget rebus sensibilibus, prout experientia constat. Quinimo, quatenus *animal rationale*

¹⁾ *De perf. div.* lib. 14, cap. 4. — ²⁾ Lessius. l. c. — ³⁾ *c. Gent.* lib. 3, cap. 22.

est, homo eidem indigentia subiacet; nam „impossibile est, intellectum secundum *presentis vite* statum, quo passibili corpori coniungitur, aliquid intelligere actu, nisi convertendo se ad *phantasmata*.” ¹⁾ Jam vero „principium phantasie est a *sensu* secundum actum. Non enim possumus imaginari quæ nullo modo sentimus, vel secundum totum vel secundum partem.” ²⁾

Cum itaque ex rerum natura optime declaratur sapientissimi Creatoris voluntas, certo constat Ipsum voluisse, ut omnes creaturæ irrationales homini inservirent. ³⁾ Hinc Magister Sententiarum: „Sicut factus est homo propter Deum, id est, ut serviret ei; ita mundus factus est propter hominem, scilicet ut ei serviret. Positus ergo est homo in medio, ut et ei serviretur, et ipse serviret.” ⁴⁾ Quæ jam satis demonstrant mundum etiam, licet *secundarie* tantum, propter *felicitem* creaturarum rationalium fuisse conditum.

SECTIO II.

Quisnam sit finis ultimus naturæ humanæ proprius.

21. Prænot. Ut ex dictis constat, finis absolute ultimus totius mundi, et consequenter etiam naturæ humanæ est gloria Dei externa. Attamen „in partibus universi unaquæque creatura est propter suum proprium actum et perfectionem.” ⁵⁾ Hunc autem finem humanæ naturæ proprium, finem specificum, dicimus esse beatitudinem seu felicitatem, seu quoddam bonum perfectum, quod totaliter quietat appetitum.

*in deus calis ben
= quod abt in
appetitum quietat
totum appetitum*

¹⁾ l. q. 89, a. 7. — ²⁾ l. q. 111, a. 3. — ³⁾ Conf. *Genes.* I, 27-31; *Psalms.* VIII, 8. — ⁴⁾ Lib. 2, Dist. 1. — ⁵⁾ l. q. 65, a. 2.

PROPOSITIO I.

Finis ultimus naturæ humanæ proprius est felicitas seu beatitudo, i. e. bonum perfectum, quod totaliter quietat appetitum.

22. Prob. I. *Ex naturali appetitu beatitudinis.*

Finis proprius naturæ humanæ in eo consistit, ad quod homo vi suæ naturæ rationalis appetitu naturali inclinatur. Atqui inest homini appetitus naturalis ad beatitudinem. Ergo.

Prob. Maj. Si appetitus naturalis fallax esset, ipsa natura rationalis fallax esset, adeoque universali scepticismo via panderetur; imo ipse Auctor naturæ, qui hunc beatitudinis appetitum naturæ rationali indidit, naturam decepisset. Atqui hæc absurda et impia sunt. Ergo.

Prob. Min. a) *Ex ipsa natura voluntatis.* Quemadmodum objectum formale intellectus est verum universe acceptum, ita objectum formale voluntatis est *bonum universe acceptum*, seu id omne, in quo ratio boni invenitur. ¹⁾ Atqui beatitudo in genere spectata cum bono universe accepto convertitur. Ergo.

b) *Ex natura beatitudinis.* Beatitudo in suo conceptu involvit præsentiam omnis boni et absentiam omnis mali; est enim, ut Tullius ait, „*secretis malis omnibus, cumulata bonorum possessio.*” ²⁾ Atqui tale objectum respuere nequit voluntas; siquidem carentia talis boni nullam bonitatem, et consequenter nullam appetibilitatem habet. Ergo.

c) *Ex conscientia testimonio.* Conscientia testatur quod

¹⁾ *De verit.* q. 25, a. 1, ad 6. — ²⁾ *Tuscul.* V, 10.

De beatitudine est bonum ad quod appetitus naturalis inclinatur

„omnis mortalium cura, quam multiplicium studiorum labor exercet, diverso calle procedit, *sed ad unum beatitudinis finem nititur pervenire.*” ¹⁾ Cur enim appetimus bona particularia? Cur appetitus, uno alterove bono obtento, jugiter ad bona ulteriora tendit? Hoc factum psychologicum evidenter ostendit nos naturæ pondere trahi in bonum aliquod, quod quidem in bonis particularibus aliquo modo reluctet, quin tamen plene contineatur. Porro istud bonum nequit esse aliud, nisi bonum perfectum, quod totaliter satiat appetitum, quodque propter se volumus, et propter quod volumus cætera.

(d) *Ex consensu universali.* Quantumvis circa beatitudinis *objectum* disputent philosophi, beatitudinis *appetitum* negat nemo.

23. Coroll. *Amor beatitudinis seu ultimi finis est radix omnis appetitionis humanæ.* Attamen ipsa beatitudinis appetitio non semper est *actualis*, nam experientia constat nos sæpe appetere bona particularia, quin actu de beatitudine cogitemus. Nihilominus tamen appetitio beatitudinis in iis casibus est saltem *virtualis*. Ut enim Angelicus observat, „*virtus primæ intentionis, quæ est respectu ultimi finis, manet in qualibet appetitione eujuscumque rei, etiamsi de ultimo fine actu non cogitetur; sicut non oportet quod qui vadit per viam in quolibet passu cogitet de fine.*” ²⁾

¹⁾ Boethius, *De consol.* III, 2. — ²⁾ 1. 2. q. 1, a. 6, ad 3.

PROPOSITIO II.

Beatitudinis consecutio est homini possibilis.

24. **Errores.** A. *Kantiani* ultimum finem hominis reponunt in perpetuo accessu ad conformitatem cum lege morali nunquam plene attingendam. — Huic autem conformitati, juxta ipsos, respondet beatitudo, quæ consequenter nunquam perfecte obtinetur.

B. *Pantheismus* ultimum finem reponit in *indefinito* progressu humanitatis versus idealem culturam et perfectionem. Iste Pantheismus humanitarius, præterquam quod fundatur in absurda hypothese hominem esse emanationem Numinis, in humanitate ad perfectam sui conscientiam eluctantis, negat ultimum voluntatis terminum, et individualement ejusque hominis personalitatem impugnando, simul omnis beatitudinis unicuique individuo propriæ fundamentum effodit.

C. *Philosophia Pessimismi* somniis *Budhismi* abrepta, ducibus Schopenhauer et von Hartmann, summum bonum, seu potius minimum malum quærit in annihilatione mundi. ¹⁾

Contra istos errores statuimus beatitudinem realiter existere et homini, nisi propria sua culpa se summo bono fraudet, revera possibilem esse.

25. **Prob.** *Ex perfectionibus divinis.* Omnibus hominibus naturaliter inest, adeoque a Creatore inditus est appetitus beatitudinis (*Prop. I*). Atqui repugnat divinæ veracitati fidelitati et bonitati hunc appetitum, citra hominis culpam, suo naturali termino frustrari. Ergo.

¹⁾ Meijer, *Instit. jur. nat.* N. 57, 58; Cathrein, *Moralphilos.* I, pag. 85 et 95.

Prob. Min. I. *Id repugnat divinæ veracitati.* Deus enim, qui nec falli nec fallere potest, auctor esse nequit desiderii illusorii, cui nil reale respondeat. II. *Id repugnat divinæ fidelitati;* huic enim repugnat non stare promissis. Atqui innatus ille beatitudinis appetitus importat divinam promissionem voce naturæ rationalis expressam. III. *Id repugnat divinæ bonitati;* huic enim repugnat, hominem per id ipsum, quod naturæ humanæ est maxime intimum, et quo brutis antecellit, nimirum per *intellectum* reddere ipsis brutis miseriorem; eumque, suæ inexterminabilis inclinationis in beatitudinem plene conscium, cruciare beatitudinis desiderio numquam satiando.

26. — Nota pro solvendis difficultatibus. —

1^o Vis argumenti non infringitur ex eo quod *bruta* non semper assequuntur appetitus naturalis objectum. Etenim a) bruta non habent naturam rationalem adeoque nec *dignitatem personalem*; hinc non possunt esse *terminus promissionis divinæ*. Præterea b) bruta, præ sua cognitione mere sensitiva, non apprehendunt nisi objectum præsens, et *inconscia* sunt omnis capacitatis ad bona ulteriora.

2^o Quoad appetitus naturales *in ipso homine*, distinguere oportet inter appetitum *beatitudinis* et appetitum nonnullorum bonorum *particularium*; siquidem prior est fons, ex quo dimanant cæteri, est centrum in quod omnes revertuntur. Prior superari vel eradicari nequit, cæteri vinci possunt; ratio est quia in felicitate nulla ratio mali, e contra in omnibus bonis particularibus, v. g. vita, aliqua saltem ratio mali apparere potest. ¹⁾

¹⁾ Stöckl, *Psycholog.-Dynamilogie*, -§ 49.

ARTICULUS II.

In quo consistat beatitudo humana.

27. Prænot. I. Ultimum finem in *beatitudine* seu felicitate consistere, illam beatitudinem homini non esse imperviam, jam in comperto est. At vero beatitudinem hactenus nonnisi *in genere* consideravimus; jam ab ordine abstracto progredientes ad ordinem concretum, inquiremus *quidnam sit illud bonum perfectum, quod totaliter adimplet appetitum humanum.*

II. Cum beatitudo sit *ultima perfectio naturæ rationalis*, quæ est eadem in omnibus hominibus, hinc consequitur beatitudinem etiam pro omnibus hominibus revera in eodem bono esse repositam; plurimi tamen ex culpabili errore vel ex depravato voluntatis affectu in bonis inanibus et fallacibus suam beatitudinem collocant.

III. Quæritur itaque ex cujusnam boni possessione revera beatificetur natura humana. Distinguendo inter beatitudinem *objectivam* seu *materialem*, quæ est *ipsa res*, cujus possessione appetitus penitus satiatur, et inter beatitudinem *subjectivam* seu *formalem*, quæ est ipsius rei beatificantis possessio, quæritur 1^o *in quo consistat beatitudo objectiva seu materialis*; 2^o *in quo consistat beatitudo subjectiva seu formalis.*

§ I.

In quo consistat beatitudo objectiva.

28. **Beatitudinis notæ.** Beatitudo est „*bonum perfectum, quod totaliter quietat appetitum,*” ¹⁾ seu „*per-*

¹⁾ 1. 2. q. 2, a. 8.

fectum et sufficiens bonum, omne malum excludens et omne desiderium implens." ¹⁾ Hinc beatorum status a Boethio merito dicitur: „*Status omnium bonorum aggregatione perfectus.*" ²⁾ Ut jam aliquod bonum possit perfecte complere appetitum humanum, ejusque ultimum finem constituere, requiritur 1^o ut sit obtentu *possibile* (N. 24 seqq.); 2^o ut sit appetibile *propter se, non propter aliud*; secus enim non esset summum bonum voluntatis neque ejus finis ultimus; 3^o ut sit per se *sufficiens*; secus ex ejus possessione voluntas non satiaretur; 4^o ut *excludat omne malum*; affici namque aliquo malo et simul perfecte beari implicat; 5^o ut sit bonum *stabile et indeficiens* et qua tale cognitum; secus enim formido amittendi illud bonum perturbaret animam.

29. **Errores.** Omnes opiniones erroneæ in hoc conveniunt, quod beatitudinem in aliquo bono creato et finito quærent. Bona autem creata sunt triplicis generis:

a) *bona externa* seu *fortuna*, eujusmodi sunt divitiæ, honor, gloria, potestas etc.; b) *bona corporis*, ut corpus ipsum, sanitas, voluptas sensitiva etc.; c) *bona animæ*, ut anima ipsa, sapientia, virtus, voluptas spiritalis etc.

Jam vero objectum beatificans apud antiquos nonnulli quærebant in bonis *externis*; alii in bonis *corporis*, ut v. g. *Epicuristæ* in voluptatibus sensibilibus; *Epicuristis* consentiunt recentiores *Materialistæ*; *Stoici* in vita conformi naturæ ac rationi, qua homo, independens prorsus a bonis animæ extrinsecis, sibi plene sufficiat; *Academicis* in sapientia speculativa; *Rationalistæ* in evolutione facultatum humanarum; *Peripatetici* cum *Aristo-*

¹⁾ l. 2. q. 5, a. 3. — ²⁾ *De consol.* III, 2.

tele in perfectissima operatione intellectus, non exclusis virtutibus moralibus, bonisque fortunæ et corporis. Felicitatem vitæ futuræ Philosophus nec asseruit, nec negavit.

PROPOSITIO I.

Nulla bona creata, sive distributive sive etiam collective sumpta, sufficiens beatitudinis objectum constituunt.

30. Prob. *Ex requisitis ad beatitudinem.* Ut aliquid sit sufficiens beatitudinis objectum, quinque conditiones requiruntur (N. 28). Atqui istæ conditiones deficiunt in quibuscumque bonis creatis, sive *distributive* sive etiam *collective* sumptis. Ergo.

Prob. Min. pars I. *Istæ conditiones deficiunt in bonis creatis distributive sumptis.*

Et sane a) *Bona fortunæ* non appetuntur propter se, sed quatenus sunt corpori vel animæ utilia non satiant appetitum; ab una parte non includunt omnia bona, ab altera parte non excludunt omnia mala; sunt instabilia; non sunt in cujusque potestate etc.

b) *Bona corporis* sunt propter animam, quæ est nobilior; iisdem præterea defectibus laborant ac bona fortunæ. Quod si per bona corporis intelligatur *voluptas corporea*, adhuc abnormior fit sententia, utpote quæ hominem ad gradum belluarum dejiciat.

c) *Bona animæ* quod attinet: imprimis *anima ipsa* non est objectum beatificans, sed subjectum beatificandum; ipsa enim est in potentia ad perfectiones sibi acquirendas. Præterea si anima in semetipsa beatitudinis objectum possideret, jam in semetipsa beata non amplius

exagitaretur beatitudinis desiderio.

B *Bona animæ acquisita* sunt quidem bona nobilissima, non tamen sunt bonum summum, sed media ad bonum summum ordinata. Et sane *sapientia, scientia et virtutes* sunt bona finita et fluxa; non excludunt omne malum, sed conjungi possunt cum multis miseriis etc. *Demum voluptas spiritualis* est beatitudinis consecrarium, non beatitudo ipsa.

Prob. Min. pars II. *Iste conditiones deficiunt in bonis creatis collective sumptis.* Recensitæ conditiones bonis creatis essentialiter repugnant. Atqui defectuosa bonorum *qualitas* non auferitur, quantumvis illorum *quantitas* augeatur. Ergo nequidem omnium bonorum illorum congeries beatitudinis objectum constituere potest.

Accedit quod nemo tota illorum bonorum collectione unquam frui possit, Num quia nemo in terris omnia illa bona potest assequi, Num quia unum eorum alterum sæpe excludit. ¹⁾

PROPOSITIO II.

Solus Deus est objectum essentielle beatitudinis humanæ.

31. Prænot. Quamvis ista Propositio ut corollarium ex Propositione præcedente profluat, nihilominus tamen magis directe eam demonstrabimus.

32. Prob. I. *Ex habitu anime rationalis ad bonum infinitum.* „Nihil, inquit S. Bonaventura ~~¶~~ sufficienter finit animam nisi bonum *infinitum*, quia ad hoc

¹⁾ 1. 2. q. 2; c. *Gent.* lib. 3, cap. 27-36; Suarez, Disp. 5, 3. 1; Lessius, *De summo Bono*, lib. 1, cap. 4-8.

de vobis et de veritate omni propter se et per se quod te et res
et de vobis et de veritate omni propter se et per se quod te et res
et de vobis et de veritate omni propter se et per se quod te et res

ut finiatur, necesse est ipsam finire secundum æstima-
tionem, alioquin non esset beata, nisi se existimaret
beatam. Æstimatio autem supergreditur omne finitum,
quia omni finito potest majus cogitari aliquid. Ergo cum
affectio possit se extendere ubi est æstimatio, necessario
affectio animæ supergreditur omne finitum. Et si hoc,
nullo bono finito sufficienter finitur. Fruendum est ergo
solo Deo, quia summum Bonum et infinitum." 1) Hinc
præclare S. Augustinus: „Satis ostendis quam magnam
creaturam rationalem feceris, cui nullo modo sufficit ad
beatam requiem, quidquid Te minus est." 2) „Fecisti
nos, Domine ad Te, et inquietum est cor nostrum
donec requiescat in Te." 3)

ultima
perfectio
natura
beatitudinis
is regarda
perfectio
quædam

Prob. II. Ex eo quod in Deo omnes notæ beatitudinis
objective inveniuntur. Et re quidem vera Deus est illud
summum Bonum, quod propter se amabile est, dum
omnia alia bona solum amabilia sunt, quia aliquid de
summo Bono participant et ad ipsum conducunt. Præ-
terea Deus est Bonum perfectum excludens quamcumque
imperfectiorem, et in sua simplicitate omnia bona emi-
nenter in se continens. Est Bonum immutabile et inde-
ficiens. Tandem assecutio hujus Boni omnibus hominibus
possibilis est, cum respondeat observationi legis.

ultima
perfectio
natura
beatitudinis
is regarda
perfectio
quædam

Prob. III. Ex eo quod possessio Dei hominem in
summo gradu perficit. Beatitudo est „ultima perfectio
rationalis naturæ." 4) Atqui facultates rationales, quæ
sunt intellectus et voluntas, non nisi in perfecta cogni-
tione Veritatis absolutæ et perfecto amore Boni absoluti
ultimam suam perfectionem attingunt. Ergo.

1) In I Sent. Dist. 1, a. 3, q. 2; Conf. 1. 2. q. 2, a. 8. — 2) Conf. lib. 13, cap. 8. — 3) Conf. lib. 1, cap. 1. — 4) 1. q. 62, a. 1.

2^o *Attamen gloria Dei est finis primarius et absolute necessarius; beatitudo humana est finis secundarius et conditionatus.* Cum enim majus bonum magis quæri debeat, et gloria Dei sit majus bonum quam beatitudo creaturæ, hinc Deus illam præ hac intendere debet; secus enim inordinate ageret, quod repugnat Enti infinite perfecto; beatitudo hominis igitur subordinatur gloriæ Dei, tamquam fini absolute ultimo.

Præterea *divina Essentia exigit*, ut omnia creata sibi subordinentur; ideo gloria Dei externa est finis absoluta necessitate obtinendus. Hinc ipsi impii, qui *peccando* subordinationem Deo denegant, aliquando tamen *patièdo* gloriam Deo dabunt, „*experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt.*” ¹⁾

E contra beatitudo hominis non est bonum *absolute necessarium*. Essentia enim *divina* solum exigit, ut omnia sibi subordinentur, sive per subordinationem *liberam*, cum qua connectitur beatitudo, sive per subordinationem *coactam*, ut contingit in damnatis. Essentia *hominis* vero id solum exigit ut beatitudinis desiderium, a Creatore inditum, *suo termino non frustretur citra hominis culpam*, minime vero, ut homo beatitudinem attingat, etiam in hypothesi, quod libertatis abusu se libere ab ultimo fine avertat.

34. Nota pro solvendis difficultatibus.

1^o Ut Deus possit esse objectum beatitudinis humanæ, non requiritur ut inter hominem et Deum existat proportio *entitatis*, qualis est v. g. inter duos homines ratione *humanitatis*, sed sufficit proportio *habitudinis* seu *ordinis*, qualis proportio v. g. habetur inter aliquam

¹⁾ S. August. *De spir. et litt.* cap. 33.

D. 4
 quæ verborum Tasscha
 longe meandis
 nulla vera de
 mensura e Tasscha
 n. g. e. e. p. d.
 Sic in nona. femina
 sic per hanc ab
 2. Laocell. ab b.
 C. p. d. n. g. e. e. p. d.
 n. g. e. e. p. d. ab n. g. e.
 in m. h. g. e.
 T. g. n. g. e. e. p. d. h. n.
 n. g. e. e. p. d. n. g. e. e. p. d.
 n. g. e. e. p. d.

facultatem et suum *objectum*. Atqui intellectus et voluntas, quorum *objectum* est verum et bonum *universim* acceptum, ordinem habent ad Veritatem et Bonitatem *absolutam*. ¹⁾

²⁾ Licet facultates *sensitive* Deum, bonum summe spirituale, attingere nequeant, nihilominus tamen Deus, ut *objectum* beatificans, est finis *totius hominis* et non solius partis rationalis. Siquidem pars sensitiva adæquate suum finem naturalem, suamque congruam perfectionem assequitur ancillando parti rationali in prosecutione boni rationalis. ²⁾

facultates sensitive Deum, bonum summe spirituale, attingere nequeant, nihilominus tamen Deus, ut *objectum* beatificans, est finis *totius hominis* et non solius partis rationalis. Siquidem pars sensitiva adæquate suum finem naturalem, suamque congruam perfectionem assequitur ancillando parti rationali in prosecutione boni rationalis. ²⁾

In quo consistat beatitudo subjectiva seu formalis.

35. Prænot. Cum igitur natura humana in solo *Bono increato* suam beatitudinem inveniat, superest, ut inquiramus circa ipsam illius Boni adeptionem seu possessionem, quæ dici solet beatitudo *formalis* seu *subjectiva*. In hac questione distinguas beatitudinis *statum* et beatitudinis *essentiam*. Beatitudinis status est complexus omnium perfectionum, quæ ad plenam beatitudinem requiruntur. Beatitudinis essentia est illud, quod inter omnia concipitur ut *primum*, quo posito, summum Bonum possidetur, quodque ideo est radix unde cætera in beato profluunt.

36. I. Beatitudinis status. Inter omnes convenit *statum* beatitudinis complecti omnia, quæ hominem undequaque beatificant, tum quoad intellectum, tum quoad voluntatem; adeoque ad beatitudinis *statum* per-

¹⁾ 1. q. 12, a. 1, ad 4; 1. 2. q. 5, a. 1. — ²⁾ Meijer, N. 64.

tinere Dei cognitionem et amorem, gaudium ex utroque profluens, perpetuitatem etc. Utrum ad beatitudinem necessaria sit resurrectio carnis, vide infra.

*De beatitudine habetur
in act. 2. q. 3. a. 4.
potentia sicut dicitur
de meo 1. q. 2. in perfectio
e. actibus
sicut de act. in parte
no. mensurae*

37. II. Beatitudinis essentia. Imprimis certum est ipsam consistere non in aliqua qualitate aut mera potentia et habitudine, sed in *operatione*; „est enim beatitudo ultima hominis perfectio. Unumquodque autem in tantum est perfectum, in quantum est *actu*.” ¹⁾ Pariter constat ipsam non consistere in aliqua operatione *sensuum*; „nam beatitudo hominis consistit essentialiter in conjunctione ipsius ad bonum increatum (summe spirituale), cui homo conjungi non potest per sensus operationem.” ²⁾ Essentia beatitudinis igitur consistit in operatione partis *rationalis*. Atqui hujus facultates sunt intellectus et voluntas. — Restat quæstio in *cujusnam* facultatis rationalis actu essentia beatitudinis sit reponenda.

38. Diversæ sententiæ. Ipsam consistere in actu *voluntatis* multorum sententia est; et quidem in solo actu *amoris*, quo Deus propter se diligitur, ut volunt Scotistæ; vel in *gaudio*, ut volunt alii. — Altera sententia, quam sequitur S. Bonaventura, ³⁾ Suarez, ⁴⁾ Lessius ⁵⁾ etc., illam reponit in actu *intellectus et voluntatis simul*. — Tertia sententia cum S. Thoma ⁶⁾ beatitudinis essentiam constituit in actu *soliis intellectus*, id est, in perfecta Dei cognitione, quam tamen amor et gaudium tamquam inseparabiles proprietates consequuntur. Et hæc quidem sententia videtur præferenda.

¹⁾ I. 2. q. 3, a. 4. — ²⁾ I. 2. q. 3, a. 2, ad 3. — ³⁾ In *IV Sent.* Dist. 49, q. 5. — ⁴⁾ *De ult. fine*, Disp. 7. — ⁵⁾ *De summo Bono*, lib. 2, cap. 5. — ⁶⁾ I. 2. q. 3, a. 4.

PROPOSITIO.

Beatitudo formalis essentialiter non consistit in actu intellectus et voluntatis simul, neque in aliquo actu voluntatis, sed in actu solius intellectus.

39. Prob. pars I. *Non in actu intellectus et voluntatis simul.* Beatitudo formalis essentialiter consistit in illo actu, quo summum Bonum primo assequimur. Atqui actus uterque intellectus et voluntatis nequit esse prima summi Boni assecutio. Actus enim voluntatis præsupponit actum intellectus, et est ipso posterior. Ergo. ¹⁾

Prob. pars II. *Non in aliquo actu voluntatis.* Beatitudo formalis est essentialiter consecutio summi Boni. Atqui nullus voluntatis actus est consecutio illius boni. Ergo.

Prob. Min. Actus voluntatis est vel *desiderium*, vel *amor*, vel *gaudium* seu *delectatio*. Atqui desiderium est de bono absente et nondum possesso; amor abstrahit a præsentia et absentia; amamus enim bonum tum absens, tum præsens; gaudium boni assecutionem supponit et consequitur. Ergo. ²⁾

Prob. pars III. *Sed in actu solius intellectus.* 1^o Beatitudo formalis essentialiter consistit in operatione facultatum rationalium. Atqui non consistit in operatione intellectus et voluntatis simul (pars I), neque in operatione solius voluntatis (pars II). Ergo consistit in operatione solius intellectus.

2^o Præterea hoc est discrimen inter intellectum et

*de beatitudine
dicitur non esse nisi
beatus et illi v. g. Bonum*

¹⁾ c. Gent. lib. 3, cap. 26, N. 9. — ²⁾ I. 2. q. 3, a. 4.

voluntatem, quod intellectus versatur circa suum objectum, illud apprehendendo et ad se attrahendo. E contra voluntas non trahit objectum ad se, sed potius ad objectum trahitur. ¹⁾ Ergo voluntatis est res quærere et in inventis quiescere, intellectus vero est res apprehendere.

3^o Beatitudo formalis est summa hominis perfectio, et ideo consistere debet in actu facultatis nobilissimæ. Atqui intellectus est nobilior voluntate. Etenim intellectus secundum se est naturæ intellectuali proprius; voluntas e contra ex eo tantum quod ab intellectu dimanat ipsumque participat; nam „appetitus omnibus rebus inest, licet sit diversimode in diversis; quæ tamen diversitas procedit ex hoc, quod res diversimode se habeant ad cognitionem.” ²⁾

40. Coroll. „Si beatitudo hominis consideretur quantum ad causam vel *objectum*, sic est aliquid increatum. Si autem consideretur quantum ad ipsam *essentiam*, sic est aliquid creatum;” ³⁾ ratio est, quia beatitudo formalis consistit in aliqua operatione animæ. Hinc ipsa anima, ut S. Bonaventura ait, „infinitum bonum finite capit, quoniam ipsa est finita. Sed quoniam bonum illud est infinitum, ideo ab ipso totaliter absorbetur, ut jam ejus capacitas undique terminetur.” ⁴⁾

¹⁾ 1. 2. q. 18, a. 1. — ²⁾ c. *Gent.* lib. 3, cap. 26, N. 1. — ³⁾ 1. 2. q. 3, a. 1. — ⁴⁾ In *I Sent.* Dist. 1, a. 3, q. 2.

— ARTICULUS III. —

De beatitudine naturali et supernaturali.

41. Prænot. Hominem ad perfectam felicitatem seu beatitudinem ordinari, hanc beatitudinem in rebus creatis frustra quæri et nonnisi in possessione boni increati inveniri, hactenus demonstravimus. Quoniam vero objectum beatificans seu Deus *duplici modo*, scil. *naturaliter* et *supernaturaliter* a rationali creatura attingi potest, hinc quoque duplex beatitudo est distinguenda, una *naturalis*, altera *supernaturalis*. Porro de natura utriusque beatitudinis necnon de habitudine, quæ inter utramque existit, quædam scitu magis necessaria explicabimus.

42. Duplex beatitudo. „*Finis*, ad quem res creatæ ordinantur a Deo, est duplex. Unus, qui excedit proportionem naturæ creatæ et facultatem; et hic finis est vita æterna, quæ in divina *visione* consistit, quæ est supra naturam cujuslibet creaturæ. Alius autem finis est naturæ creatæ proportionatus, quem scilicet res creata potest attingere secundum virtutem suæ naturæ.”¹⁾ Si quidem Deus, supposita *libera* creatione, opus suum *necessario* perducit ad *finem ultimum*; attamen, tamquam Dominus absolutus, *liber* est in statuendo *modo*, quo omnes res creatæ ad finem ultimum perduci debeant. Itaque Deus ad majorem gloriæ suæ manifestationem decernere potest, ut creaturæ rationales ordinentur in finem naturæ quidem *indebitum*, sed *possibilem*, imo naturam maxime *perficientem*, in eumque tendant mediis

¹⁾ l. q. 23, a. 1.

proportionatis. Hinc distinctio inter beatitudinem *naturalem* et *supernaturalem*.

43. I. Beatitudo naturalis. Hæc beatitudo consistit in perfecta quidem (relative ad capacitatem naturæ) sed *mediata* solummodo et *abstractiva* cognitione Dei, quatenus est *Auctor naturæ*. Hæc nimirum divinorum contemplatio, etsi quoad claritatem longe perfectior omni cognitione hujus vitæ mortalis, in statu naturæ puræ non pervenisset ad Dei *visionem*, sed fuisset cognitio Dei ex creaturis, et præcipue per *scientiam infusam*. Ex ista cognitione promanasset perfectus amor naturalis Boni infiniti, et interminabile gaudium. Itaque in statu beatitudinis naturalis homo, ab omni malo physico et morali prorsus immunis, perpetua Boni infiniti possessione naturaliter perfecte beatus fuisset.

Hæc beatitudo est finis naturalis creaturæ rationalis. Supposita creatione, hæc beatitudo non constituitur per *liberam* Dei ordinationem distinctam et diversam a voluntate *creante*, sed connectitur cum necessario objectifo ordine rerum, i. e. cum perfectionibus divinis et natura hominis. Conf. *Artic. I*, § II, et *Artic. II*, § I. ¹⁾

44. Via ad beatitudinem naturalem. Ad hanc beatitudinem homo in statu naturæ puræ pertingere potuisset per observantiam *legis naturalis*. Deus autem hominem in hunc finem dirigens, ipsi non denegasset media, tum intrinseca tum extrinseca, quibus homo *moraliter* indiguisset ad legem naturalem servandam. At-

¹⁾ Hæc accedit, quod tradidit Conc. Vaticanum: " Sancta Mater Ecclesia tenet et docet, Deum, rerum omnium principium et finem, naturali humanæ rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse." Constit. *Dei Filius*, cap. 3.

tamen illa media fuissent illi statui proportionata, adeoque fuissent auxilia non quidem gratiæ naturam *elevantis*, sed gratiæ medicinalis naturam *intra suos terminos* perficientis. ¹⁾

45. II. Beatitudo supernaturalis. Hæc consistit in *immediata visione Essentiæ divinæ*. Quoniam vero nulla species intelligibilis, utpote creata et finita, perfecte representare potest Essentiam divinam, hinc ipsa Essentia divina gerit vices speciei intelligibilis et fit forma intelligibilis intellectus beati. ²⁾

Quoad visionem beatificam egregie Lessius: „Natura rationalis per potentiam intellectivam est capax divinitatis, et lumine gloriæ illustrata et adjuva factaque Deo similis eminentissimo modo per eandem formaliter transit et penetrat in Deum, et Deus in ipsa novo modo existit, seque ipsi cum omnibus suis bonis communicat, ut omnium dulcedine et pulchritudine perfruatur. Potentiæ intellectivæ, velut socia, et suppar accedit voluntas, qua anima toto impetu fertur in bonum intellectu conceptum, ut illi novo modo se uniat, nempe per amorem, et in illud velut transformetur. Per has duas potentias anima nostra duplici modo eoque eminentissimo intrat in divinitatem et divinitas in illam, fitque mutua veluti penetratio, et intima unio vitalis inter animam et Deum. Unde nascitur ineffabile gaudium, quo infinitum bonum vitaliter conjunctum velut degustat.” ³⁾

Hæc beatitudo excedit omnem naturam crea-

¹⁾ Suarez, *Proleg. ad Tract. de Gratia*, IV, cap. 1 et 2. — ²⁾ I. q. 12, a. 5. — ³⁾ *De perf. div.* lib. 14, cap. 5.

tam. Visio intuitiva Essentiæ divinæ soli Deo naturaliter competit et excedit exigentiam et facultatem cujusvis intellectus creati. Et sane „cognitio contingit, secundum quod cognitum est in cognoscente. Cognitum autem est in cognoscente secundum modum cognoscentis. Unde cujuslibet cognoscentis cognitio est secundum modum suæ naturæ.

Si igitur modus essendi alicujus rei cognitæ excedat modum naturæ cognoscentis, oportet quod cognitio illius rei sit supra naturam illius cognoscentis . . . Relinquitur ergo quod cognoscere ipsum *Esse subsistens* sit connaturale soli intellectui divino, et quod sit supra facultatem naturalem cujuslibet intellectus creati, quia nulla creatura est *sum esse*, sed habet *esse participatum*.” ¹⁾

46. Potest tamen intellectus creatus a Deo elevari ad visionem Essentiæ divinæ. Quamvis hujus visionis existentia et possibilitas ratione naturali *positive* demonstrari nequeat, supposita tamen veritate hujus visionis per *fidem*, ratio solvit argumenta contraria, et congruentiam visionis suadere potest. ²⁾

47. Imo revera est finis ultimus. Licet Deus, creatione etiam supposita, potuisset hominem non ordinare ad hanc supernaturalem beatitudinem, docet *fides* naturam humanam, haud secus ac angelicam, ad intuitivam visionem gratuita Dei bonitate esse elevatam, et per participationem bonorum, quæ soli Deo propria sunt, ipsius naturæ divinæ consortem fieri. ³⁾

48. Intellectus beatus ad Deum videndum indiget lumine gloriæ. Quoniam vero, ut supra dictum

¹⁾ 1. q. 12, a. 4. — ²⁾ Conf. 1. q. 12, a. 1; 1. 2. q. 3, a. 8. — ³⁾ Conf. Concil. Florentinum in *Decreto Unionis*.

est, visio intuitiva excedit vires intellectus creati, hinc ipse ad hanc visionem eliciendam elevari et perfici debet per aliquam supernaturalem virtutem in se receptam, quæ dicitur *lumen gloriæ*, ¹⁾ quod „est suprema quædam irradiatio et participatio lucis illius, qua Deus seipsum videt, per quam intellectus ad statum divinum elevatur et fit deiformis.” ²⁾ Istud autem lumen per modum habitus intellectui inhæret, mentemque beatam *elevat* ad statum divinum, ejusque capacitatem in immensum expandit, ipsamque *determinat* et *rapit in visionem*. ³⁾

Ad illum finem supernaturalem pertingere nequit natura suis propriis viribus relicta, sed *absolute* indiget gratia *supernaturali*, qua elevetur et novis viribus instruat, huic fini supernaturali proportionatis. Cum vero ordo supernaturalis gratiæ et gloriæ ad *S. Theologiam* spectet, hæc pauca pro scopo nostro sufficiant.

49. Beatitudo mere naturalis est status hypotheticus. Cum itaque, ut Theologi demonstrant, secundum gratuitam Dei ordinationem, divina revelatione manifestatam, in præsentī conditione generis humani beatitudo supernaturalis *revera* sit ultimus finis humanæ vitæ, adeoque ordo *supernaturalis* sit ordo *historicus*, consequitur beatitudinem *mere naturalem* et *naturam puram* non esse statum historicum, sed *hypotheticum*, qui tamen locum habere *potuisset*.

50. Beatitudo supernaturalis non destruit naturalem. Cave tamen ne ex dictis concludas beatitudinem naturalem in præsentī ordine omni *objectiva realitate destitui*. Ut enim sapienter Suarez observat, „Nunc

¹⁾ Conc. Viennense. — ²⁾ Lessius, *De summo Bono*, lib. 2, cap. 8. —
³⁾ Confer latius Lessium l. c.

est eadem natura, et consequenter eadem capacitas; unde cum *gratia non destruat naturam, sed perficiat*, non privat illam hac perfectione naturali. Et ita certum est in supernaturali beatitudine habiturum hominem omnem perfectionem sibi connaturalem, quomodo probat d. Thomas, hominem *videntem* Deum non privari *cognitione naturali* Dei; quin potius maxime in illa perfici; et idem proportionaliter est de amore." ¹⁾

51. Nota pro solvendis difficultatibus.

1^o Contra ea, quæ de beatitudine naturali dicta sunt, objici posset: Anima, beatitudinem naturalem assecuta, cognosceret *possibilitatem visionis intuitivæ*. — Ergo illam visionem appeteret, et ideo hac visione carens, non perfecte beata foret.

2^o S. Thomas docet a nobis *naturaliter* appeti Dei *visionem*, l. q. 12, a. 1; l. 2. q. 3, a. 8; c. *Gent.* lib. 3, cap. 25.

Resp. ad I. Quandoquidem visio Dei nullam connectionem habet cum causa vel effectu naturali, merito negari potest visionis possibilitatem solo rationis lumine cognosci posse. ²⁾ — Quod si, ut aliis placet ³⁾, anima possibilitatem cognovisset, vel saltem suspicata fuisset, simul tamen intellexisset visionem Dei esse naturæ *indebitam* et *supra omnes vires naturales positam*. Hinc desiderium visionis non fuisset efficax, sed mera quædam velleitas, et quidem divinæ Providentiæ subordinata. — Hinc quoque propter visionis carentiam nulla animam beatam perturbasset tristitia; status enim beatorum

¹⁾ *De ult. fine*, Disp. 4, s. 3, N. 4. — ²⁾ *De verit.* q. 14, a. 2; Cajetanus, in l. q. 12, a. 1. — ³⁾ Suarez, *De ult. fine*, Disp. 16, s. 3; Ripalda, *De Ente supern.* Disp. 14, s. 2.

omnem *irrationalem* affectum excludit.

Resp. ad II. S. Thomas juxta Cajetanum ¹⁾ loquitur de homine *fide* instructo, et jam corrumpit difficultas. — Alii cum Suarezio ²⁾ Angelicum intelligunt de desiderio ex naturali quidem cognitione elicitō, sed non nisi *inefficaci* et *conditionato*. — Non est cur huic difficultati *mere exegetice* immoremur; S. Doctor enim aperte distinguit finem naturalem et supernaturalem, I. q. 23, a. 1; q. 62, a. 1; I. 2. q. 62. a. 1; et præterea docet statum naturæ puræ esse possibilem, In *II Sent.* Dist. 31, q. 1, a. 2, ad 3; *Quodlibeto* I, a. 8.

ARTICULUS IV.

Utrum carnis resurrectio ad beatitudinem naturalem pertineat.

52. **Prænot.** I. Futuram carnis resurrectionem ut *dogma fidei* credimus, et cum Theologis profitemur eam in præsentī ordine esse opus *supernaturale*; resurrectio enim in statu naturæ lapsæ debetur meritis *Verbi incarnati*; præterea corpus beatorum erit *gloriosum*. — Utrum vero resurrectio *quoad substantiam* spectata, id est, in quantum ipsa importat iteratam junctionem animæ cum suo corpore absque dotibus gloriosis, ad beatitudinem naturalem pertineat et naturæ humanæ debita sit, non una est sententia auctorum.

*de resurrectione dicitur
Theologus et de quæ
dicitur hinc de naturalium
interior*

II. S. Thomas, etsi data opera de resurrectione relate ad statum naturæ puræ non agat, relate tamen ad præsentem ordinem ipsam commendat argumentis, quæ

¹⁾ In I. q. 12, a. 1. — ²⁾ *De ult. fine*, l. c.; Conf. Palmieri, *De Dea creante*, thes. 40.

statui naturæ puræ applicari possint. Inter recentiores sententiam affirmantem, tamquam probabiliorem defendit Costa-Rossetti, *Synopsis Philos. Mor.* thesi 15.

PROPOSITIO.

Carnis resurrectio non videtur pertinere ad beatitudinem naturalem.

53. *Prænot.* Resurrectionem carnis esse *consentaneam naturæ humanæ* ex eo patet, quod in anima separata ordo et appetitus naturalis ad corpus non exstinguitur, tum ex eo quod anima separata aliquo modo imperfecta est, sicut omnis pars extra suum totum existens.

Resurrectionem esse *consentaneam divinæ Providentiæ* ex eo colligitur, quod corpus fuit consors animæ in operando, et ideo consentaneum est corpus resurgere, ut simul cum anima æternum præmium accipiat. ¹⁾

Hiscæ concessis, æstimamus carnis resurrectionem non esse *debitam* naturæ humanæ in statu beatitudinis naturalis.

54. *Prob.* Resurrectio non est *necessaria* ut beatificetur homo, vel ut *corpus* humanum præmium accipiat, vel demum propter animam, quæ corporis *forma* est.

a) „Non est necesse, ut homo possit consequi aliter suum finem, quam potest existere; nulla enim res naturalis aliud postulat, nisi quod, dum existit, possit suum finem consequi. Sicut ergo homo secundum naturam integram corruptibilis est, secundum animam vero est immortalis et æternus, ita satis est, quod pro aliquo tempore possit naturaliter esse beatus (scil. inchoa-

¹⁾ c. *Gent.* lib. 4, cap. 79, N. 1, 2, 3; *Catech. Rom.* 1, a. 11.

tive) in toto composito, perpetuo vero solum in anima." ¹⁾

b) „Quia anima est principium *proprium* ac *per se* actionis bonæ aut malæ, satis est hominem in ea recipere præcipuum virtutis præmium. Corpus autem, quod est tantum organum animæ, sicut in hac tantum vita mortali esset instrumentum virtutis, ita in eadem posset recipere aliquod præmium suæ actioni proportionatum." ²⁾

c) Ex eo quod anima est forma corporis, non sequitur statum separationis esse violentum, et ideo non beatum. Anima enim habet duplicem existendi modum, alterum in corpore, alterum extra corpus. Prior intuitu vitæ intellectualis minus perfectus est (Conf. I, q. 89) et ideo nulla videtur esse ratio, ob quam anima separata appetitu elicitō et rationali ad pristinum statum vellet redire, nisi corpus tale esset, *quod functioni intelligentiæ non officiat*, quale non potest esse nisi *in statu supernaturali gloriæ*. ³⁾

ARTICULUS V:

Quænam sit destinatio hujus vitæ mortalis.

55. Prænot. Ut *destinatio* hujus vitæ mortalis rite intelligatur, quærendum est quænam sit *relatio* vitæ hujus ad vitam futuram; hæc autem relatio pendet a quæstione utrum finis ultimus in vita hac mortali, vel nonnisi in vita futura attingatur.

¹⁾ Suarez, *De ult. fine*, Disp. 15, s. 2, N. 7; Conf. In III, Disp. 44, s. 7. —

²⁾ Suarez, In III, l. c. Vide Lessium, *De summo Bono*, lib. 1, cap. 9. —

³⁾ Suarez, In III, l. c.; Lessius, *De summo Bono*, l. c.

PROPOSITIO I.

Finis ultimus tum universalis, seu gloria Dei externa, tum naturæ humanæ proprius, seu beatitudo, in hac vita non perfecte obtinetur.

56. Prob. pars I. *Gloria Dei externa in hac vita etc.* Gloria Dei externa proprie dicta seu *formalis* in hoc consistit, quod creaturæ rationales ex manifestationibus objectivis divinarum perfectionum, quæ ab omnibus creaturis, imprimis vero a creaturis rationalibus, ipsis exhibentur (N. 17), assurgunt ad cognitionem, amorem et laudem Creatoris. Atqui finis iste non perfecte obtinetur, ut experientia constat.

Et sane, obscura valde et imperfecta est cognitio Dei in hac vita. Siquidem anima nostra, quamvis immaterialis sit, quia tamen in hac vita modum essendi in materia habet, proprio conceptu non nisi res materiales concipit, et omnia alia tantum concipit per *analogiam* quamdam et *proportionem* ad illas. ¹⁾ Quinimo imperfectam hanc Dei cognitionem persæpe adhuc vitæ sollicitudines, passiones indomitæ impediunt. Quot Athei corde? Quot, „qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium: et coluerunt, et servierunt creaturæ potius quam Creatori?“ ²⁾

Prob. pars II. *Beatitudo in hac vita etc.* „Beatitudo, cum sit perfectum et sufficiens bonum, *omne malum excludit et omne desiderium implet.* In hac autem vita non potest omne malum excludi: multis enim malis præsens vita subjacet, quæ vitari non possunt, et ignorantia ex parte intellectus, et inordinatæ affectioni ex parte appetitus, et multiplicibus pœnalitatibus ex

¹⁾ Lessius, *De summo Bono*, lib. 1, cap. 8, N. 55. — ²⁾ *Rom.* 1, 25.

parte corporis. Similiter etiam boni desiderium in hac vita satiari non potest: naturaliter enim homo desiderat permanentiam ejus boni, quod habet. Bona autem præsentis vitæ transitoria sunt, cum et ipsa vita transeat." ¹⁾

Ergo finis ultimus in hac mortali vita non obtinetur, et consequenter vita præsens non est nisi *via ad ultimum terminum*.

PROPOSITIO II.

Destinatio hujus vitæ mortalis ea est, ut homo se præparet ad beatitudinem perfectam vitæ futuræ, Deum libere glorificando.

57. Prob. pars I. *Hæc vita est preparatio ad beatitudinem vitæ futuræ.* Cum finis ultimus in vita mortali non obtineatur, hinc oportet vitam hanc mortalem subordinari fini ultimo vitæ futuræ. Siquidem finis ultimus est ille, quem propter se volumus, et propter quem volumus cætera. -- Itaque finis *proprius* vitæ terrestris non est nisi finis *intermedius*. Atqui omnis ratio finis intermedii a fine ultimo desumitur. Ergo.

Prob. pars II. *Hæc preparatio consistit in Deo glorificando*, seu in servando ordine morali. Et sane, gloria Dei externa est finis absolute ultimus necessario obtinendus, sive per *liberam* sive per *coactam* creaturæ rationalis submissionem; inde Dei glorificatio, quemadmodum in altera vita necessario est consummanda, ita in vita terrestri necessario est inchoanda (N. 14-17 et N. 33). Et quidem in *libera* Dei glorificatione, ac præterea

¹⁾ 1. 2. q. 5, a. 3; c. *Gent.* lib. 3, cap. 48; Lessius, *De summo Bono*, lib. 1, cap. 9.

in *ea sola*, creatura rationalis ad beatitudinem perfectam vitæ futuræ pertingere potest, ut infra (N. 386) demonstrabimus.

Præclare Lactantius: „Idcirco mundus factus est ut nascamur; ideo nascimur ut agnoscamus factorem mundi ac nostri, Deum; ideo agnoscimus ut colamus; ideo colimus ut immortalitatem (beatam) pro laborum mercede capiamus, quoniam maximis laboribus cultus Dei constat; ideo præmio immortalitatis afficimur, ut . . . summo Patri ac Domino in perpetuum serviamus, et simus æternum Dei regnum. *Hæc summa rerum est*, hoc arcanum Dei, hoc mysterium mundi; a quo sunt alieni, qui sequentes præsentem voluptatem, terrestribus et fragilibus bonis se addixerunt, et animas, ad cœlestia genitas, suavitatibus mortiferis, tamquam luto cænove demerserunt.”¹⁾

PROPOSITIO III.

In hac præparatione, seu in Dei cognitione et amore, consistit quoque beatitudo imperfecta hujus vitæ.

58. Prob. Beatitudo imperfecta est quædam participatio beatitudinis perfectæ et quædam inchoata ejus possessio.²⁾ Atqui homo incumbens in cognitionem et amorem Dei jam aliquo modo prægustat beatitudinem vitæ futuræ, quæ in *perfecta* cognitione et amore Dei consistit. Præterea talis homo recta tendit ad beatitudinem futuram; qui autem per rectam viam incedit optatum terminum infallibiliter attingit, adeoque in via jam

¹⁾ *Instit. div.* lib. VII, cap. 6. — ²⁾ 1. 2. q. 3, a. 6.

bonum futurum *inchoate* possidet per certam *spem*, quæ quodammodo præsentia reddit bona futura.

59. Coroll. 1^o Errant igitur, qui in bonis *temporalibus* felicitatem hujus vitæ collocant. „Cum his omnibus bonis, inquit Lessius, potest quis esse miser, et sine his potest quis esse beatus.” 1) Non est tamen cur cum falso *Mysticismo* negemus bona temporalia, tum fortunæ, tum corporis, tum animæ, esse vera bona, in quantum scil. *media* sunt in ordine ad *finem* ultimum. Quo sensu S. Thomas cum Philosopho ad beatitudinem hujus vitæ requirit bonam dispositionem corporis, aliqua bona exteriora necnon societatem amicorum, „non quasi de essentia beatitudinis existentia, sed quasi instrumentaliter deservientia beatitudini, quæ consistit in operatione virtutis.” 2) Quod si bona ista ad finem ultimum non conducant, *inania* sunt; quinimo maxima *mala* evadunt, si a summo Bono avertant.

2^o Neque bonorum temporalium *carentia* imperfectam hujus vitæ felicitatem tollere potest, quum hujus vitæ calamitates, quæcumque sint, non obstant, quominus homo Deum cognoscat et diligat, sibi que æternam beatitudinem promereatur.

Quinimo mala hujus vitæ convertuntur in maxima bona, si animum a perituris bonis hujus ævi ad æterna bona vitæ futuræ erigant.

1) In 1. 2. q. 2. — 2) 1. 2. q. 4, a. 6-8; In VIII Ethic. lect. 1.

Caput II.

De actu humano spectato secundum esse physicum.

60. Prænot. I. *Cap. primo* demonstravimus a) *Deum* esse finem absolute ultimum omnium creaturarum, imprimis vero creature rationalis; b) simul tamen huic creature *beatitudinem* tamquam finem ultimum proprium a Creatore esse præfixam; c) finem ultimum in hac vita mortali non obtineri, adeoque vitam præsentem esse *viam ad ultimum terminum*. Ordo itaque postulat, ut dicamus de *actibus humanis*, quibus, veluti totidem gressibus homo viator ad ultimum terminum pergit. Istos autem actus pro scopo nostro sub duplici respectu considerabimus, scil. 1^o secundum *esse physicum* (Cap. II), 2^o secundum *esse morale* (Cap. III). ¹⁾

II. Hoc *Cap. de esse physico* actuum humanorum tractantes, inquiremus 1^o *quid sit actus humanus*. Quoniam vero voluntarium et liberum actuum humanorum elementa sunt, pro rei momento speciatim dicemus 2^o *de voluntario*, et 3^o *de libero*. — Dein 4^o agemus *de impediementis voluntarij et liberi*.

ARTICULUS I.

Quid sit actus humanus.

61. Prænot. Ut natura actus humani perspicia-
tur, explicabimus 1^o *quomodo differat ab actu hominis*;

¹⁾ Inter recentiores de actib. hum. bene scripserunt Walsh, *De actib. hum.* Dublin, 1880; Raphael a S. Joseph, *Institut. fundam. Theolog. mor.* Alosti, 1884; Ballerini, *Opus theolog. morale*, Prati 1889; Bouquillon, *Theolog. mor. fundam.* 2a ed. Brugis, 1890.

2^o *quænam sint ejus principia intrinseca*; 3^o *quænam sint ejus præcipuæ partitiones*; 4^o *quænam speciales actus tum rationis, tum voluntatis, in actu humano distingui soleant.*

62. Actus hominis et actus humanus. Actus, qui ab homine procedunt, duplicis generis sunt; alii nimirum dicuntur *actus hominis*, alii vero *actus humani*. Porro actus humanus est actus, qui procedit ab homine *in quantum homo est*; differt autem homo a creaturis irrationalibus *in quantum suorum actuum dominus est*. Hinc per actum humanum intelligimus omnem et solum actum *liberum*. Et sane, solus actus liber est homini undequaque *proprius*; homo namque non agit formaliter ut homo, quando utitur facultatibus sibi propriis; id enim cuiusque agenti proprium est; sed formaliter ut homo agit, quando suis facultatibus utitur *modo operandi sibi proprio*, i. e. *libere*.

Actus humanus = actus dom. deo merito quilibet ab intellectu de. et revelat. etc.

Cæteri vero actus, qui ab homine quidem procedunt, sed *sine libertate*, dicuntur *actus hominis*. Hinc non solum actus indeliberati appetitus *sensitivi*, sed et motus indeliberati *intellectus* et *voluntatis* inter actus hominis recenseri debent. ¹⁾

63. Principia intrinseca actus humani. Quoniam vero libera voluntas fertur in bonum a ratione ordinatum, tria sunt actuum humanorum principia intrinseca, 1^o *intellectus*, a quo radicaliter, 2^o *voluntas*, a qua substantialiter actus humani procedunt, 3^o denique *liberum arbitrium*, per quod homo actuum suorum dominus est.

64. Divisio actuum humanorum. Actus huma-

¹⁾ l. 2. q. 1, a. 1.

ni potissimum distinguuntur :

A. Eliciti et imperati. Voluntas enim „quamvis se habeat quodammodo ut causa ad omnes actus humanos, non tamen eodem modo se habet ad omnes. Quosdam enim actus ipsa elicit, in quantum est *specialis potentia*, sicut *velle*; quosdam vero imperat, ut est *universalis motor virium animæ*;" ¹⁾ siquidem objectum voluntatis est *bonum universale*.

Actus eliciti sunt illi, quorum voluntas est simul immediatum principium et subjectum; seu illi, qui immediate a voluntate procedunt et in ipsa consummantur. Isti autem actus reduci possunt vel ad amorem vel ad odium.

Jam vero in actu *amoris* varii quodammodo gradus, tamquam totidem actus partiales, distinguuntur, quales post S. Thomam ²⁾ sex recenseri solent, scil. 1^o *simplex volitio* seu velleitas, 2^o *intentio*, 3^o *consensus*, 4^o *electio*, 5^o *usus*, 6^o *fruitio*. Primus, secundus et ultimus sunt circa *finem*, reliqui circa *media*. Vide N. 68.

Actus imperati sunt illi, quorum quidem principium *movens* est ipsa voluntas, sed principium *elicitivum* et *subjectum* sunt aliæ potentiae motæ et applicatæ quoad exercitium a voluntate. Actus itaque imperati ex voluntatis imperio ponuntur ab aliis potentiis, sive internis, ut v. g. actus fidei, sive externis, ut v. g. locutio.

Patet autem actum elicivum esse rationem cur actus imperatus habeatur, proindeque hunc ab illo pendere.

65. Imperium voluntatis distinguitur in despoticum et politicum. Imperium autem voluntatis

¹⁾ In *III Sent.* Dist. 27, q. 2, a. 3, ad 4; 1. 2. q. 1, a. 1, ad 2. —
²⁾ 1. 2. q. 8. q. 17.

est volitio efficax, qua cæteras potentias ad suos proprios actus movet. Et quidem hoc imperium est *despoticum* seu *absolutum* vel mere *politicum* seu *non absolutum*, prout aliæ potentiæ vel nullam vel aliqualem saltem resistantiam voluntati opponere possunt.

66. Utrum imperium, despoticum an politicum, voluntas in diversas potentias exerceat.

a) *Despotice* voluntas imperat *sibi*, cum sibi ipsi non resistat; *despotice* quoque imperat *virtuti motrici membrorum externorum*, cum illa, nisi aliquod impedimentum obsit, ad nutum movere possit.

b) *Politice* dumtaxat imperat *intellectui, phantasie, memoriæ et appetitui sensitivo*; experientia siquidem constat facultates istas, quamvis voluntatis imperio obnoxie sint, ei tamen resistere posse.

c) *Indirecte* tantum potentiæ *vegetativæ* voluntatis imperio subjacent; non enim est in hominis potestate v. g. non nutrirî, cibo sumpto. Potest tamen sumere vel non sumere cibum, et *eatenus* juvare vel impedire facultatem nutritivam.

Indirecte tantum imperat *sensibus externis* et sensui interno his respondententi; non enim pendet a voluntatis imperio videre vel non videre aliquod objectum, quando oculi sunt aperti. Attamen voluntas potest organa avertere, removere objecta; et hac ratione illæ operationes sunt voluntariæ vel non voluntariæ. ¹⁾

67. B. Actus interni et externi. Actus imperati iterum sunt interni vel externi, prout in potentiis internis consummantur, ut v. g. cogitatio; vel ad externas potentias progrediuntur aut aliquo sensibili signo

¹⁾ l. 2. q. 17, a. 5-9.

manifestantur, ut v. g. locutio. Hæc divisio magni momenti est pro *Jure canonico et civili*, juxta illud: *De internis non judicial prætor*.

○ **68. Series et connexio actuum specialium, qui in actu humano distinguuntur.** Sex actibus a voluntate *elicitis* (N. 64) ex parte *intellectus* correspondent *quinque* actus *dirigentes*, et *unus* ex parte *potentiarum executivarum*. Omnium istorum actuum naturam et connexionem breviter indicabimus.

Primus actus est simplex *apprehensio*, qua intellectus aliquod bonum apprehendit et voluntati proponit. Hanc apprehensionem repente sequitur *simplex volitio* in voluntate, qua ipsa in bonum sibi propositum complacentia et amore quodam inclinatur, nulla adhuc mediorum ratione habita. Si tamen volitio sit fortis, voluntas movet intellectum ad inquirendum, utrum illud bonum sit conveniens adeptuque possibile. Hinc sequitur secundus actus intellectus np. *judicium*, quo bonum ut conveniens et possibile voluntati exhibet. Ex hoc judicio in voluntate exurgit *intentio*, qua jam vividius inclinatur in bonum ut per media assequibile. Intentioni voluntatis proxime in intellectu connectitur actus tertius, np. *consilium* seu consultatio circa media, cui in voluntate iterum respondet *consensus* seu approbatio mediorum. Vi hujus consensus intellectus, si illa media varia sint, neque omnia simul adhiberi possint, rursus a voluntate movetur ad discernenda media aptiora, et est quartus actus intellectus, qui dicitur *judicium practicum* seu discretivum mediorum. Quo judicio peracto, voluntas unum medium præ alio *eligit*. Vi hujus electionis intellectus intimat et denuntiat quid per cæteras poten-

tias peragendum sit, i. e. mediorum executionem. Iste quintus et ultimus actus intellectus dicitur *imperium*. Huic imperio respondet ex parte voluntatis *usus activus*, seu applicatio potentiarum executivarum ad assumenda et exequenda media. Huic applicationi activæ respondet ex parte potentiarum executivarum *usus passivus*, seu executio mediorum, quibus demum comparatur finis, cujus possessione *fruitur* voluntas, in bono possesso jucunde quiescens. ¹⁾

Hi duodecim actus ad actum humanum concurrunt, quando non præcipitanter, sed prudenter ponitur; attamen ab ipso operante vix percipiuntur, quia admodum subito fiunt et sibi succedunt. ²⁾

ARTICULUS II.

De voluntario.

voers. Boon. fol. 109.

69. Prænot. I. Voluntarium latiori sensu acceptum definiri potest: *Illud, cujus principium est ab intrinseco cum cognitione finis*. ³⁾ Jam vero cognitio finis duplex est, una imperfecta seu *materialis*, quæ etiam brutis competit, altera perfecta seu *formalis*, quæ naturæ intellectuali propria est (N. 8). Pro hac duplici cognitione Scholastici distinguebant duplex voluntarium, unum imperfectum, quod et ipsis brutis attribuebant, alterum perfectum, quod attribuebant soli naturæ rationali. Ut autem omnis æquivocatio tollatur, illud voluntarium imperfectum et improprie dictum Scholasticorum

¹⁾ 1. 2. q. 8-17, coll. q. 25, a. 2; Suarez, *De volunt.* Disp. 7-10. —

²⁾ Conf. Billuart, *De actib. hum.* Diss. III, initio; Signoriello, *Ethica gen.* cap. 2, artic. 4. — ³⁾ 1. 2. q. 6, a. 1.

cum recentioribus Moralistis vocamus *spontaneum*, et illud solum voluntarium dicimus, quod ex *formali* seu intellectuali cognitione procedit.

II. Circa hoc voluntarium proprie dictum quæritur 1^o *quid sit*; 2^o *quomodo dividatur*; 3^o *quænam sint requisita speciatim pro voluntario indirecto.*

§ I.

Quid sit voluntarium.

70. Definitio voluntarii. *Illud, quod procedit ab appetitu rationali ex intellectuali cognitione finis.*

Explicatur definitio. Dicitur 1^o *Illud, quod procedit*; i. e. actio vel omissio, vel etiam alterutrius effectus, immediate vel saltem mediate originem habens ab appetitu seu principio intrinseco, tamquam a *causa*. Hinc voluntarium differt a *volito*, quod est quidem voluntatis *objectum*, non vero semper voluntatis *effectus*. Pluvia est agricolis *volita*, non *voluntaria*. Dicitur 2^o *ab appetitu*; quo voluntarium differt a *violento*, quod est a principio *extrinseco*, contranitente voluntate. Dicitur 3^o *ex intellectuali cognitione finis*; pro voluntario requiritur cognitio, et quidem cognitio intellectualis, ita ut non sufficiat cognitio materialis seu sensitiva. Hinc voluntarium differt a) a motu *naturali*, qualis est v. g. actus vegetativus; motus namque naturalis, quamvis sit ab intrinseco, procedit tamen *absque ulla cognitione*. Differt b) a *spontaneo*, quod est a principio intrinseco et quidem cum cognitione; sed illa cognitio non est nisi *materialis* seu *sensitiva*. Non voluntarius, sed spontaneus est motus appetitus sensitivi, v. g. subita ira, qui deliberationem rationis antecedit.

Pro voluntario tamen non requiritur cognitio *actualis*, sed sufficit cognitio *præterita* seu *virtualis*, qua agens in causa apprehendit effectum, de quo jam hic et nunc minime cogitat.

71. — Coroll.—Cum pro voluntario requiratur prævia cognitio, voluntarium eatenus se porrigit, quatenus se extendit illa prævia scientia. Ut ergo „ aliqua actio dicatur *tota* voluntaria, necesse est, ut cognoscatur secundum omnes sui partes et circumstantias; quarum aliqua si ignoretur, actio non dicitur voluntaria quoad illam circumstantiam ignoratam.” ¹⁾ Quare si fureris rem, quam invincibiliter ignoras esse sacram, *furtum* quidem tibi voluntarium est, non vero *sacrilegium*.

72. Quid sit involuntarium. Voluntario opponitur involuntarium, quod iterum accipitur *negative* vel *contrarie*. Negative acceptum idem sonat ac *non voluntarium*, et denotat illud, quod *non pendet* a voluntate. Contrarie sumptum, seu pro *involuntario* strictiori sensu, denotat illud, quod non solum non pendet a voluntate, sed *præterea ejus inclinationi adversatur*. Hoc modo mors inimici, optata quidem, sed ex inculpabili errore venatoris secuta, illi venatori *non voluntaria* est. Mors prolis ex inculpabili negligentia matris causata, matri *involuntaria* est. ²⁾ Promiscue tamen illa vocabula ab auctoribus adhibentur.

¹⁾ S. Alphons. lib. 2, VIII. — ²⁾ *De malo*, q. 3, a. 8.

§ II.

Quotuplex voluntarium distinguatur.

73. Divisiones voluntarii. Voluntarium potissimum distinguitur :

A. *Liberum et necessarium.* *Liberum* est quod a voluntate procedit cum *indifferentia*. Porro *indifferentia* est illa voluntatis proprietas, qua, positis omnibus ad agendum requisitis, ipsa potest agere vel non agere. Actus liber est amor Dei in viatore.

Necessarium est, quod procedit a voluntate determinata ad unum, sine potentia ad oppositum. Amor felicitatis est actus necessarius.

B. *Perfectum et imperfectum.* *Perfectum* est, quod fit ex plena cognitione intellectus et perfecto consensu voluntatis.

Imperfectum est, quod fit ex cognitione semiplena vel cum consensu imperfecto. Consensus tamen ne reputetur imperfectus ex eo, quod etiam in contrariam partem sollicitatur voluntas, ejusque quamdam velleitatem concipit; hæc enim perfectum consensum non tollunt; sed consensus intelligatur imperfectus ex eo, quod non adfuit vera determinatio voluntatis. Voluntarium imperfectum frequenter occurrit in casibus repentinis, in æstu passionis, in semi-vigilia, etc.

C. *Explicitum et implicitum.* *Explicitum* est illud, quo volumus aliquid in se distincte cognitum et cogitatum. Explicitè diligo inimicum, si actum amoris erga ipsum eliciam.

Implicitum est illud, quod voluntas amplectitur in aliquo generali voluto. Implicitè diligo inimicum, si actum amoris eliciam erga omnes homines.

D. *Simpliciter et secundum quid.* *Simpliciter* est illud, quod voluntas amplectitur quidem, sed cum quadam repugnantia. Hæc tamen repugnantia, ut sub B animadvertimus, non tollit consensum perfectum. Exemplum hujus voluntarii habes in navarcha projiciente pretiosas merces, ne navis submergatur.

Secundum quid habetur, quando voluntas negat consensum alicui rei, in quam tamen actualiter inclinatur. In exemplo posito mercium conservatio est tantum voluntaria secundum quid, sed involuntaria simpliciter. Alii hanc voluntarii distinctionem aliter exponunt, ut vide apud S. Alphonsum, lib. 2, IX. ¹⁾

E. *Absolutum et relativum.* *Absolutum* seu *efficax* est illud, quod explicite vel implicite continet revocationem volitionis oppositæ propter ignorantiam, oblivionem etc. simul occurrentis.

Relativa seu *inefficax* dicitur volitio hoc modo revocata.

Si voluntates contrariæ sint *simul*, tunc prævalet *prædominans*, seu illa, quæ eligeretur, utriusque cognita simultanea impossibilitate. Quare si quis iniret matrimonium intendens illud esse solubile, tali animo, quod non contraheret, si matrimonii indissolubilitas ipsi nota esset, tunc matrimonium esset invalidum. ²⁾

Si vero una voluntas *succedat* alteri, prævalet *posterior*, nisi tamen prior saltem virtualiter omnem contrariam voluntatem subsequenter revocaverit; hoc enim in casu prævaleret *prior*, nisi expresse revocetur. Unde si sacerdos postquam alicui applicavit Sacrificium crastinum, hujus tamen applicationis immemor cras alteri applicet, prior applicatio prævalet, si fuerit omnino absoluta, ita ut

¹⁾ Conf. Bouquillon, N. 320. — ²⁾ S. Alphons. lib. 6, N. 24.

ex tunc præferretur cuilibet applicationi ex oblivione prioris faciendæ. Si vero utraque voluntas foret æqualis, prævaleret applicatio posterior. ¹⁾

F. *Positivum et negativum.* *Positivum* est, quod procedit a voluntate positive operante, ut v. g. lectio.

Negativum est, quod est a voluntate non operante, quatenus nempe voluntas agere omittit, *cum tamen agere possit.* Hoc modo Sacri omissio voluntaria est ei, qui Sacro interesse potest. Dicitur: *cum tamen agere possit*; pro voluntario enim requiritur, ut aliquo modo a voluntate, tamquam a causa pendeat (N. 70). Hinc externa Sacri omissio non est *voluntaria* impio moribundo; potest tamen ipsi esse *volita*.

G. *Actuale, virtuale, habituale et interpretativum.* *Actuale* est, quod hic et nunc elicitur vel imperatur a voluntate; talis est actus contritionis, quem peccator hic et nunc elicit.

Virtuale est, quod procedit a voluntate vi actus *præteriti* quidem, sed *non revocati* et *influere moraliter pergentis*; talis est absolutio data a confessario distracto.

Habituale est, quod olim pro futuro actualiter fuit volitum, nec postea fuit revocatum, sed nunc *nullo modo in actum influit.* Hoc modo voluntaria est susceptio Baptismi in moribundo sensibus destituto, qui olim elicit Baptismi desiderium, quod tamen hic et nunc nulloatenus in actum influit.

Voluntarium *virtuale* et *habituale* igitur in eo *conveniunt*, quod utrique præcessit volitio actualis et quidem non retractata; in eo autem *differunt*, quod in virtuali etiamnum illa volitio influit, non vero in habituali.

¹⁾ De Lugo, *De Sacram.* Disp. 8, s. 8.

Interpretativum est, quod voluntas nec actu, nec virtute vult vel voluit, sed tamen *vellet* vel *presumitur* velle, si de eo cogitaretur vel cogitari posset. Hoc modo voluntaria est susceptio Extremæ Uctionis in infirmo, qui christiane vixit et subito sensibus destituitur, quin unquam illius Sacramenti suscipiendi desiderium elicuerit; item consensus superioris absentis, quem *rationabiliter* presumit subditus.

Nonnulli Auctores voluntarium *interpretativum* vocant *habituale*, et voluntarium *in causa* dicunt *interpretativum*, et voluntarium *virtuale habituale*.

H. *Expressum* et *tacitum*. *Expressum* est, quod verbis aut aliis signis consensum significantibus exprimitur.

Tacitum est, quod, absque tali signo, ex aliquo facto vel facti omissione, pensatis circumstantiis, satis adessee colligitur. Hinc regula juris 43 in 6^o: „*qui tacet consentire videtur.*”

Cum tamen taciturnitas *per se* neque consensum neque dissensum significet juxta regulam juris 44: „*Is, qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur,*” hinc Auctores proponunt nonnullas regulas: Tacens consentire censetur: a) quoties agitur de ejus commodo; b) quando contradicere poterat et debebat; c) si quis ex duobus objectis unum neget, alterum tacendo fateri videatur; d) ex dispositione juris. Nihilominus, cum hæc omnia vera tantum sint *secundum præsumptionem*, fieri potest circumstantias esse tales, ut huic præsumptioni nullus locus sit.

I. *Directum* seu *in se*, et *indirectum* seu *in causa*. *Directum* est illud, quod in se ipso a voluntate intenditur. Directe voluntarium est homicidium tum domino,

qui homicidium imperat, tum famulo, qui ex mandato illud exequitur.

Pro voluntario directo non requiritur, ut aliquid appetatur *propter se* seu tamquam *finis*; nam aliquid potest vere *in se* intendi, etsi non intendatur *propter se*, sed ut *medium* in ordine ad aliquem finem. Labor mercedis gratia susceptus est directe voluntarius.

Indirectum est illud, quod procedit a voluntate non ut in se volitum seu intentum, sed in alio, cum quo connectitur. Blasphemia in ebrietate perfecta prolata sæpe indirecte voluntaria est. ¹⁾

Hæc quidem de *voluntario* ejusque divisionibus sufficiant, nisi quod uberiori explicatione indiget *voluntarium indirectum*.

§ III.

De requisitis pro voluntario indirecto.

74. Prænot. Ut conditiones pro voluntario indirecto requisitæ, necnon postea tradenda de imputabilitate rite intelligantur, quædam de causa efficiente hic notanda sunt.

75. *Causa efficiens* dicitur causa illa, quæ sua vir-

¹⁾ Multi Auctores, magis attendentes ad ordinem *executionis*, quam ad ordinem *intentionis*, per voluntarium *in causa* intelligunt illud omne, quod est *effectus* alicujus causæ, sive fuerit *directe* seu *in se* a voluntate intentum, sive solummodo *prævisum*. Hinc juxta istos Auctores voluntarium in causa potest iterum esse *vel directe* vel *indirecte* voluntarium. Unde si fur incendit domum ea intentione, ut comburantur habitatores, homicidium erit *directe* voluntarium in causa; si vero non ex tali intentione, sed propter aliam quamdam rationem hoc facinus commiserit, prævidens mortem habitatorum, homicidium erit *indirecte* voluntarium in causa.

tute aliquem effectum producit. Hæc causa multipliciter distinguitur :

A. *Physica et moralis.* Prior influxu materiali seu physico effectum producit ; altera vero aliam causam liberam efficaciter movet ad effectum physice producendum. Servus, ex mandato domini hominem occidens, causa physica, dominus causa moralis istius homicidii est.

B. *Immediata et mediata.* Prior effectum producit nulla alia causa interveniente ; altera effectum non producit nisi alia causa interposita. In exemplo servus est causa immediata, dominus causa mediata homicidii.

Causa moralis semper est mediata ; causa physica tum mediata tum immediata esse potest.

C. *Proxima et remota.* Prior necessariam vel saltem ordinariam cum effectu connexionem habet. Posterior in effectum non influit notabiliter ; vel est ea, ex qua effectus non sequitur *ut plurimum*. Frequentare popinas uni, np. bibulo, proxima, alteri remota ebrietatis causa est.

Nonnulli Auctores, ut v. g. Sanseverino, *Ontol.* cap. 9, art. 8, causam *immediatam* vocant *proximam*, et *mediatam* dicunt *remotam*. Juxta explicationem a nobis datam, ipsa causa *mediata* potest esse causa *proxima*.

D. *Causa per se et per accidens.* Prior per se, seu ex natura sua ordinatur ad effectum producendum. Potus excessivus est causa per se ebrietatis ; lectio obscœna est causa per se motuum carnalium. Altera ex natura sua ad illum effectum non ordinatur, sed aliquando, accedente nempe aliqua circumstantia, talem effectum producit. Sic ebrietas, *accedente rixa*, potest causare homicidium.

Causa *per accidens* aliquo modo convenit cum *occa-*

sione, quæ est id, ad cuius præsentiam aliquid fit; si janua nocte non claudatur, datur occasio furandi. Causa per accidens aliquo modo etiam convenit cum conditione sine qua non, quæ est remotio impediendi obsistentis productioni effectus; sic libertas est conditio sine qua non moralitatis; bona dispositio subjecti est conditio sine qua non gratiæ Sacramentorum.

Hisce prænotatis, quæritur *quænam requirantur, ut effectus non intentus sit voluntarius ponenti causam.* Pro responso sint duæ propositiones.

PROPOSITIO I.

Ut effectus secutus ex causa per se indirecte voluntarius sit, requiruntur, sed etiam sufficiunt causa voluntaria et sufficiens prævisio effectus.

76. Prob. pars I. *Requiruntur causa voluntaria et sufficiens prævisio effectus.*

Requiritur 1^o causa voluntaria, seu ut agens potuerit non ponere causam. Si enim a voluntate agentis non pendeat causa, a fortiori non pendeat effectus. Hinc blasphemia, ex perfecta ebrietate secuta, nequit esse voluntaria, nisi et ipsa ebrietas voluntaria sit.

Requiritur 2^o sufficiens prævisio, seu ut agens effectum *saltem in confuso* præviderit. Nihil enim voluntarium est, nisi procedat ex prævia cognitione intellectus. Hinc ebrietas non est voluntaria, si quis inebrietur ex potu, cuius vim inebrietivam invincibiliter ignorabat.

Quodsi nonnulli Auctores docent sufficere, ut effectus *potuerit et debuerit prævideri*, hoc admitti nequit eo

sensu, quasi nulla *saltem confusa* cognitio requireretur. Etenim effectus nullo modo prævideri *potest*, si *de facto* nullo modo saltem in confuso prævideatur, aut si de effectu nulla menti incidat suspicio, vel aliqua cogitatio de obligatione advertendi; verbo: si non adsit voluntarius advertentiæ neglectus; nam prima idea alicujus rei non est in potestate hominis.

Prob. pars II. *Sufficiunt causa voluntaria et sufficiens prævisio effectus.* Etenim „talís effectus per se censetur constituere unum, et ad eandem speciem pertinere cum sua causa. Et hoc sensu habet verum, quod dici solet, *qui vult antecedens velle etiam consequens*, sufficienti cognitione supposita.” ¹⁾

PROPOSITIO II.

Ut effectus secutus ex causa per accidens indirecte voluntarius sit, præter causam voluntariam et sufficientem prævisionem (*Prop. præc.*) requiritur, sed etiam sufficit obligatio vitandi causam, ne sequatur effectus ille.

77. Prob. pars I. *Requiritur obligatio vitandi causam* etc. Etenim, illa obligatione deficiente, si quis v. g. habeat justam rationem se habendi permissive, effectus ille nec *physice* nec *moraliter* a voluntate procedit. Et quidem a) *non physice*; cum enim causa per accidens ad effectum illum non ordinetur ex natura sua, hinc ille, qui talem causam ponit, non physice in talem effectum influit; sed talis effectus physice procedit *a suis propriis causis*. Ita v. g. exactio usuræ physice

¹⁾ Suarez, *De voluntario*, Disp. 1, s. 4, N. 8.

non procedit a petitione pauperis, sed a judaica voluntate ipsius usurarii; submersio navis, omissionem succursus subsequens, physice causatur a tempestate. — Et quidem b) *non moraliter*; etenim, illa obligatione seclusa, nihil est in quo fundetur causalitas moralis. ¹⁾ Hinc a voluntate pauperis neque physice, neque moraliter, adeoque *nullatenus* procedit exactio usuraria, si ex necessitate mutuum petat ab usurario, quia ob necessitatem, in qua versatur, non tenetur impedire peccatum usurarii.

Prob. pars II. *Sufficit obligatio vitandi causam etc.* Etenim in casu „ratione *præcepti*, illa causa, et effectus ex illa secutus, quamvis *physice* tantum per accidens connectantur, nec unum sit causa alterius; tamen *moraliter* censentur habere rationem unius objecti disconvenientis seu vitandi a voluntate; et ideo voluntas unius censetur virtualis voluntas alterius.” ²⁾

Hinc submersio navis in tempestate est voluntaria *gubernatori* negligenti dirigere navem sibi commissam.

Attamen, ut Suarez observat, non sufficit obligatio qualiscumque, sed requiritur, ut agens teneatur illam causam vitare *eo titulo, ne sequatur effectus ille*, i. e. ob *connexionem* cum effectu illo. Unde si quis violet præceptum jejunii et inde patiatur pollutionem nocturnam, pollutio non censebitur *ideo* voluntaria, cum obligatio jejunii non eo titulo, vitandi scil. pollutionem, sit imposita. Ad aliud igitur præceptum in casu recurrendum erit ad stabiliendam rationem voluntarii vel involuntarii.

¹⁾ Suarez, l. c. N. 9. — ²⁾ Suarez, l. c.; Lessius, *De voluntario*, art. 3, dub. 2.

ARTICULUS III.

De libero.

78. Prænot. I. *Libertas* generatim importat immunitatem a *vinculo* vel impedimento. Hoc sensu dicitur *libertas* a servitute seu *conditionis*; *libertas* a vinculo legis seu *moralis*; *libertas* a peccato seu *gratiæ*; *libertas* a miseriis seu *gloriæ*; *libertas physica*, de qua hic sermo erit.

II. Porro de hac libertate physica hic tria quærentur: 1^o *quid sit*; 2^o *utrum existat*; 3^o *quænam sit ejus extensio*.

§ I.

Quid sit libertas physica.

79. **Libertas physica.** Hæc libertas est ea voluntatis proprietas, per quam ipsa in suis actibus immunis est a necessitate tum *externa* (*libertas a coactione*), tum *interna* (*libertas a necessitate*). Hæc itaque *libertas a necessitate* excludit quæcumque vim tum externam, tum internam, ita ut voluntas sit domina suorum actuum. Vocari solet *libertas arbitrii*, *liberum arbitrium*, *libertas indifferentiæ*.

80. **Radix libertatis physiciæ.** Quoniam libertas propria est ipsius voluntatis, ideo ex eodem fonte dimanat, ex quo ipsa voluntas. Est autem voluntas inclinatio consequens formam *intellectualem*; unde et ipsa libertas a forma intellectuali oriatur oportet. „Radix libertatis est voluntas sicut *subjectum*; sed sicut *causa* est ratio: ex hoc enim voluntas libere potest ad diversa fer-

ri, quia ratio potest habere diversas conceptiones boni." ¹⁾

Prima radix est *universalitas intellectus*. Hæc enim efficit, ut intellectus plura, suam quoque operationem reflexione agnoscere possit; ex quo consequitur ejus judicium non esse ad unum determinatum; judicium quippe ad unum determinatum indifferentiæ voluntatis, adeoque et liberæ electioni penitus obstat. ²⁾

Altera radix est *aptitudo voluntatis ad bonum universale*. Hæc enim efficit, ut nullum bonum *particulare* voluntatem explere possit; ex quo consequitur voluntatem super omnia bona particularia eminere, a nullo bonorum particularium necessario trahi, sed unumquodque eorum prosequi vel rejicere posse. ³⁾

81. Definitio libertatis. Libertas a *necessitate* definiri potest: *Indifferentia activa agentis, qua, positis omnibus ad agendum requisitis, potest agere vel non agere.*

Explicatur definitio. Dicitur 1^o *indifferentia*, qua excluditur voluntatis determinatio ad unum. Dicitur 2^o *indifferentia activa*; duplex quippe est distinguenda indifferentia, una passiva, altera activa. Indifferentia *passiva* est capacitas *plura recipiendi*, quo modo cera v. g. est passive indifferens ad diversas figuras recipiendas. Indifferentia *activa* est capacitas *plura agendi*. Porro ad libertatem requiri indifferentiam activam extra controversiam est. Dicitur 3^o *positis omnibus ad agendum requisitis*; si enim istorum requisitorum quidpiam desit, omissio actus non libertati, sed *impotentia* tribuenda erit. Dicitur 4^o *potest agere vel non agere*; si enim, omnibus

¹⁾ l. 2. q. 17, a. 1, ad 2. — ²⁾ l. q. 82, a. 2, ad 2; c. *Genl.* lib. 2, cap. 48. — ³⁾ l. c.

prærequisitis positis, agens ab actu abstinere nequeat, actus non liber, sed necessarius est. ¹⁾

82. Libertas est triplex. Ipsa autem indifferentia vel est circa *actum*, quatenus voluntas potest agere vel non agere. Vel est circa *objectum*, quatenus voluntas potest velle hoc vel ejus oppositum vel quidpiam aliud. Hinc ipsa libertas distinguitur in libertatem *contradictionis*, *contrarietatis* et *specificationis*.

Libertas contradictionis seu exercitii consistit in eo, quod voluntas potest elicere vel non elicere aliquem actum, v. g. amare vel non amare Deum.

Libertas contrarietatis importat quod voluntas possit velle aliquod objectum vel ejus oppositum, v. g. bonum et malum morale.

Libertas specificationis in eo est, quod voluntas potest velle hoc vel quid aliud, v. g. studium vel deambulationem. ²⁾

83. Indifferentia contradictionis ad libertatem sufficit. Ad dominium enim actuum satis est, quod voluntas actum ponere vel ab actu abstinere possit. Indifferentia vero *ad bonum et malum morale*, seu facultas peccandi, nedum ad libertatis naturam pertineat, magnum ejus *vitium* est, simul tamen ejus *signum*, sicut ægritudo est signum vitæ. Hinc libertas merito dicitur *vis electiva mediorum, servato ordine finis*. ³⁾

¹⁾ Suarez, *Proleg. ad Tract. de Gratia*. — ²⁾ *De verit.* q. 22, a. 6. —

³⁾ *De verit.* q. 22, a. 6; l. q. 62, a. 8, ad 3. Vide Leon. XIII Encycl. *Libertas*, 20 Junii 1888, § *Libertas itaque*.

§ II.

Utrum homo libertate præditus sit.

84. Errores. Libertatis adversarii ad duplicem classem revocari possunt :

Prima classis complectitur *Pseudo-theologos*. Ut non nominemus antiquiores, Reformatores sæc. XVI, et Jan-senistæ contendunt per peccatum originale penitus extinctam esse libertatem primitivam. Contra istos hæreticos Fides docet libertatem a necessitate in statu naturæ lapsæ, licet viribus attenuatam et inclinatam, nequaquam tamen esse extinctam. Conf. *S. Theologiam*.

Altera classis complectitur *Pseudo-philosophos*. Præter Fatalistas proprie dictos, libertatem negant Materialistæ, Pantheistæ, Positivistæ et Darwinistæ. — Inter nostrates Determinismum profitentur Scholten, ¹⁾ Van der Wijck, ²⁾ et increduli passim.

Imo ipse Cartesius et Leibnizius genuinam libertatis notionem adulterarunt, docentes voluntatem determinari per *motivum prævalens*, et necessario adhærere majori bono apprehenso. ³⁾

PROPOSITIO.

Homo in præsenti vita libertate indifferentiæ præditus est.

85. Prob. I. *Ex ipsa natura intellectus et voluntatis.* „Appetitus vitalis, inquit Suarez, sequitur cognitionem, et ideo perfectiorem cognitionem comitatur per-

¹⁾ *De vrije wil.* — ²⁾ *Zielkunde.* — ³⁾ Stöckl, I, § 57; Meijer, N. 109; Cathrein, I, pag. 24.

fectior appetitus; ergo et cognitionem universalem et suo modo indifferentem sequitur etiam appetitus universalis et indifferens. Cognitionis autem intellectualis ita est universalis et perfecta, ut propriam rationem finis et mediorum percipiat, et in unoquoque expendere possit quid habeat bonitatis vel malitiæ, utilitatis aut incommodi; item quod medium sit necessarium ad finem, quod vero indifferens, eo quod alia adhiberi possint. Ergo appetitus, qui hanc cognitionem sequitur, habet hanc indifferentiam seu perfectam potestatem in appetendo, ut non omne bonum aut omne medium necessario appetat, sed unumquodque juxta rationem boni in eo judicatam." ¹⁾

Prob. II. *Ex testimonio conscientiæ.* Intima experientia constat a) nos, ubi aliquem actum *posituri sumus*, nobiscum consultare, hinc inde ponderare motiva, et quæcumque motiva ad actum impellant, nosmetipsos ad actum determinare ita, ut omissio actus in nostra potestate sit; imo nos persæpe meliora videre et probare et nihilominus deteriora sequi; b) nos, ubi aliquem actum, sive bonum sive malum, *posuimus*, a conscientia morali laudari vel culpari tamquam verum illius actus *dominum*; c) nos distinguere inter actum necessarium et liberum, v. g. inter famem et manducationem, inter subitum iræ motum et deliberatam vindictam. Atqui conscientia psychologica est certum criterium veritatis. Ergo.

Prob. III. *Ex consensu generis humani.* a) Omnes populi habent morales notiones boni et mali, justi et injusti, meriti et demeriti, juris et officii. ²⁾ Atqui istius-

¹⁾ *Metaph. Disp. 19, s. 2, N. 18; Conf. 1. 2. q. 17, a. 1, ad 2; c. Gent. lib. 2, cap. 48; De malo, q. 6.* — ²⁾ Vide Cathrein, *Anhang*, pag. 449.

modi notiones important conscientiam liberi arbitrii. b) Omnes populi utuntur hortationibus, legibus, præmiis, pœnis. Atqui hæc omnia sunt inutilia prorsus, et absona, si homo non est actuum suorum dominus. c) Imo adeo animæ humanæ infixæ est illa persuasio, ut ipsi libertatis impugnatores in vita quotidiana indubitanter admittant, quod in cathedris præfracte negant, juxta illud Poætæ: „Naturam expellas furca, tamen usque recurret.” Et sane, ipsi adversarii ineunt contractus, in periculis sunt solliciti, incandescunt contra injurias, laudant et vituperant aliorum facinora etc. Hæc autem supponunt libertatem humanam. ¹⁾

Atqui universalis ille consensus et persuasio, cui nec ipsi adversarii in vita practica se subducere potuerunt, quamque, ut S. Augustinus ait, „cantant et in montibus pastores, et in theatris poætæ, et indocti in circulis, et docti in bibliothecis, et magistri in scholis, et antistites in sacris locis, *et in orbe terrarum genus humanum*,” ²⁾ universalis illa, inquam, persuasio certum veritatis criterium est. Etenim persuasio ista naturæ vox est, ut patet tum ex ejus universalitate, tum ex eo quod fundatur in factis psychologicis evidenter perceptis (Conf. *Prob. II*). Ergo.

Prob. IV. *Ex absurdis consecrariis sententiæ oppositæ.* Juxta Deterministas omnes actus humani determinantur legibus necessitantibus. Atqui, hoc admissio, a) *corrui*

¹⁾ Lepide Bergier: „Vous dites que tout ce que je fais est nécessaire, que rien de tout cela n'est en mon pouvoir. Voulez-vous gager un écu que dans une heure je m'asseierai? Si je ne suis pas maître de moi-même, le pari est égal: il y a des chances pour moi, il y en a pour vous. Quel fataliste voudra accepter le pari? qu'il soit bien sûr que je lui ferai perdre son argent.” — ²⁾ Lib. *De duab. anim.* cap. XI.

ordo moralis; si enim ex necessitate facimus, quidquid facimus, omne discrimen inter virtutem et vitium, omnis obligatio moralis, omnis responsabilitas evanescit. b) Ipse Deus, utpote istarum legum auctor, per nefandam blasphemiam causa statuitur omnium scelerum. c) Via sternitur ad Pantheismum; si enim vis liberi arbitrii nihil est, sed ipse Deus omnia bona, imo etiam omnia mala in homine operatur, ¹⁾ humanæ personalitatis extinctio, Numinisque cum humanitate confusio non amplius longe distant. Ergo.

86. Nota pro solvendis difficultatibus.

1^o Perperam Deterministæ actum *liberum* confundunt cum actu *sine ratione sufficiente posito*. ²⁾ Etenim non sine ratione sufficiente ad bona particularia appetenda se movet libera voluntas. Siquidem naturaliter inclinata ad bonum *universaliter* acceptum, sub generali illa boni appetitione se movet ad eligenda bona particularia *propter bonitatem*, quæ in illis ab intellectu apprehenditur et ipsi proponitur. Porro illa *bonitas* voluntati *sufficientem agendi rationem* suppeditat; ipsa tamen bonitatis *deficientia*, quæ omnibus bonis particularibus inhæret, *libertatem* servat. Hinc voluntas humana non quidem sine ratione *sufficiente* et tamen sine ratione *necessitante* eligit bona particularia.

2^o Juxta recentiores Deterministas libertas humana conciliari nequit cum lege physica, secundum quam „*summa virium mechanicarum vivarum, seu energia actualis, et summa virium potentialium in mundo semper con-*

¹⁾ Ita docuit Lutherus, *De servo arbitr.* cap. 150, et Calvinus, *Instit. Relig. Christ.* lib. 1, cap. 17 et 18. — ²⁾ Ita Scholten, *De vrije wil*, et recentiores Deterministæ passim.

stans est; etenim illa energia augetur in hypothesi alicujus facultatis spiritualis liberæ extra sphaeram istarum virium positæ.

Resp. Admissa etiam præfatæ legis existentia quoad vires materiales sibi relictas, nequaquam inde appetitur libertas humana. Etenim voluntas *humana* nullam vim mechanicam *producit*, sed vires mechanicas, quæ vim locomotivam constituunt, *immanente volitione ad actum applicat*. Hinc nullum virium mechanicarum augmentum ex volitione libera hominis. ¹⁾

3^o Objiciunt *Statisticam criminalem*, secundum quam determinata crimina, certis circumstantiis positis, constanti uniformitate inter homines occurrunt.

Resp. Dato, non concesso, tabellas statisticas esse omnino veras et completas, ²⁾ objecta uniformitas nihil officit libertati humanæ. Causas plurimas, tum internas, tum externas, puta passiones, habitus acquisitos, educationem, consuetudinem socialem et alia id genus voluntatem in unam partem *vehementer inclinare* nemo dubitat. Hinc optime declarari potest quædam uniformitas, quin negetur libertas. ³⁾

Diximus: causas plurimas voluntatem *inclinare*; nullam enim voluntati *necessitatem* inferunt; nam, quæcumque sint rerum adjuncta, quorum influxui homo obnoxius est, nullum bonum particulare se tamquam bonum undequaque perfectum *sancæ menti* obtrudere et indifferentiam iudicii tollere potest.

¹⁾ Vide Revue catholique, LIV et LV, *Le Déterminisme mécanique et le libre arbitre*. — ²⁾ Vide Stimmen aus Maria-Laach, XXII, pag. 345. —

³⁾ Quinimo Statisticam criminalem libertati humanæ potius favere ostendit Cathrein, I, pag. 36.

Quoad alias difficultates vide *Psycholog. et Theolog. natur.*

§ III.

Quenam sit extensio libertatis humanæ.

87. I. Circa *bonum infinitum* seu Deum intuitive in *altera vita* cognitum voluntas necessitatur tum quoad *specificationem*, tum quoad *exercitium*. Ratio est, quia neque in ipso *objecto*, neque in *ipso actu amoris* ulla mali ratio apprehendi potest.

II. Circa *bonum in communi* necnon *beatitudinem* seu *felicitem* et *media*, quæ ab intellectu *clare* apprehenduntur ut *necessario nexu* cum felicitate conjuncta, voluntas necessitatur quoad *specificationem*, non vero quoad *exercitium*. Ratio prioris est, quia bonum in communi est adæquatum objectum voluntatis; in beatitudine vero nulla ratio mali invenitur. Ratio posterioris est, quia potest aliquis non cogitare de quocumque objecto, et per consequens neque actu illud velle. Præterea in ipsa *appetitione* beatitudinis aliquam rationem mali vel incommodi considerari posse extra dubium est.

III. Circa *bonum infinitum* seu Deum homo in *hac vita* undequaque liber est. „Quamvis Deus, inquit Cajetanus, sit in se majus et eminentius universale bonum, quam beatitudo in communi, tamen *non est evidens et apparens nobis* sub tali ratione, sicut beatitudo.” ¹⁾ Hinc iudicium, quo ratio decernit Deum amandum esse, fit cum indifferentia.

¹⁾ In l. q. 32, a. 2.

IV. Circa omnia *bona finita particularia* homo viator plane liber est. Bona enim ista non sunt beatitudo seu felicitas ipsa, neque sunt media cum beatitudine necessario connexa, vel saltem ut talia ab intellectu non clare apprehenduntur. ¹⁾

88. **Coroll.** Cum itaque in præsentī vita voluntas humana in omnibus, quæ ad finem ultimum ordinantur, seu quoad omnia bona particularia, *plena* libertate gaudeat, hinc supervacaneum prorsus est separatim tractare de *voluntario* et de *libero*. Actus enim vel non est perfecte voluntarius, sed eo ipso neque perfecte liber erit; vel e contra actus est perfecte voluntarius, quia et sufficiens cognitio intellectus et vera determinatio voluntatis adfuerunt, sed eo ipso etiam liber erit; hinc nomina *voluntarium* et *liberum* a Moralists promiscue usurpantur.

ARTICULUS IV.

De impedimentis voluntarii liberi.

89. **Prænot.** Inter voluntarii liberi impedimenta in primis veniunt illæ animæ corporisque dispositiones, in quibus homo sui conscientia penitus caret. Talia sunt pueritia, amentia, ebrietas, somnus, necnon status somnambulismi, sive naturalis sive hypnotici.

Alia vero impedimenta afficiunt hominem cæteroquin sui competem. Ad voluntarium liberum siquidem requiritur *determinatio voluntatis ex prævia cognitione intellectus cum indifferentia iudicii*. Quidquid igitur istis voluntarii liberi requisitis officit, eo ipso plus minusve

¹⁾ 1. 2. q. 10, q. 13; *De veritate*, q. 23, a. 4; *De malo*, q. 6.

ipsum voluntarium liberum tollere vel saltem minuere debet. Jam vero *voluntatis determinatio* deficit in casu violentiæ, frequenter debilior est, urgente metu; *cognitio* tollitur per ignorantiam; *indifferentia judicii* minuitur per concupiscentiam. Porro metus et concupiscentia sunt *passiones animales*, de quarum *entitate physica* quædam scitu magis necessaria hoc *Artic.* explicabimus.

§ I.

Violentia physica.

90. Definitio. Violentia physica definitur: *Motio a principio extrinseco, renitente eo, qui patitur.*

Explicatur definitio. Dicitur 1^o *motio a principio extrinseco*; ut actus sit violentus principium movens debet esse *extra agentem*; hoc tamen non sufficit, et ideo dicitur 2^o *renitente eo, qui patitur*, nimirum voluntas patientis debet resistere, et quidem non solum *interne*, sed etiam *externe*, quantum pro adjunctis fieri potest et debet. Defectu prioris conditionis motus appetitus sensitivi stricte loquendo violentus dici nequit, etsi voluntas ipsi resistat. Defectu alterius conditionis absolute violentus dici nequit actus ab extrinseco proveniens, quando voluntas ipsi consentit, vel ei non resistit. — Si vero patiens resistat quidem aliquo modo, non tamen sufficienter, violentia non erit absoluta, sed *secundum quid*.

91. Violentia non cadit in actus elicitos. Implicat enim quod voluntas simul in actum inclinet et simul huic actui renitatur. Hinc nequidem Deus potest voluntatem cogere quoad aliquem actum elicitem;

attamen Deus potest voluntatem *mutare*, et ex nolente facere volentem. ¹⁾

92. Cadit in actus imperatos. Quod intelligas duplici sensu :

1^o quatenus actus aliarum facultatum, tum internarum, tum externarum, quos voluntas hic et nunc imperat, *impediri possunt* per vim externam, ut si oculi per vim claudantur.

2^o quatenus facultates illæ, contranitente voluntate, *ad suos actus applicari possunt* per vim extrinsecus illatam; ut si oculi per vim aperiuntur. Similiter v. g. diabolus operari potest circa phantasiam et appetitum sensitivum, ut vide 1. 2. q. 80, a. 2. ²⁾

PROPOSITIO.

**Violentia absoluta involuntarium causat ;
violentia secundum quid non tollit
voluntarium, sed minuit.**³⁾

93. Prob. pars I. *Violentia absoluta involuntarium causat.* Etenim involuntarium dicitur illud, quod non pendet a voluntate, et *præterea* ejus inclinationi adversatur. Atqui utraque conditio, ut ex definitione patet, habetur in actu absolute violento. Ergo. ³⁾

Prob. pars II. *Violentia secundum quid non tollit voluntarium.* Ubi enim voluntas non resistit, quantum potest et debet, ibi remanet in parte aliqua ratio voluntarii. *Sed tamen minuit.* Ubi enim voluntas non nisi propter vim, licet superabilem, agit non actura alioquin, ibi profecto minori affectu agere dicenda est. Hinc quo

¹⁾ 1. 2. q. 6, a. 4. — ²⁾ 1. 2. q. 6, a. 4. — ³⁾ 1. 2. q. 6, a. 5.

minor est violentiæ impetus adeoque facilior et ipsa resistentia, ipsa quoque actio minus involuntaria seu magis voluntaria est. Et contra actio minus voluntaria erit, quo major est vis illata et difficilior ad repellendum. ¹⁾

94. Scholium. Si quis actioni cogentis *externe resistat*, sed *interne consentiat*, illa actio neque voluntaria neque involuntaria est, sed *volita* (N. 70). Si quis actioni cogentis *interne consentiat* externe non resistens, sed tamen nihil ad illam actionem conferens, actio est *volita*, et præterea *indirecte voluntaria*, casu quo illam per resistentiam impedire *debuisset* (N. 77). Si quis actioni cogentis neque consentiat, neque resistat, actio illa dicitur *permissa*; attamen erit *indirecte voluntaria*, casu quo illam impedire *debuisset*. Hujus ultimi casus exemplum habetur in muliere, quæ licet interne dissentiat, ex vano timore non resistit turpi violentiæ sibi illatæ. ²⁾

§ II.

Ignorantia.

95. Definitio. Ignorantia definitur: *Privatio scientiæ debita*. Ignorantia itaque differt a *nescientia*, quæ simplicem *negationem* scientiæ importat; differt ab *errore*, nam error approbat falsa pro veris; differt ab *inadvertentia*, quæ est carentia cognitionis *actualis* in eo, qui *habitualiter* tamen rem cognoscit. ³⁾ Errori et inadvertentiæ applicentur, quæ de ignorantia dicturi sumus.

96. Divisiones ignorantiae. Ignorantia potissimum dividitur:

¹⁾ Ballerini, N. 119. — ²⁾ Bouquillon, N. 340. — ³⁾ *De malo*, q. 3, a. 7.

A. *Ratione objecti in ignorantiam juris et facti.*

Ignorantia juris respicit *legem*; nimirum qui ignorantia juris laborat, ignorat legem vel existere, vel jam num obligare, vel hunc casum comprehendere etc.

Ignorantia facti est, qua non ignoratur quidem alicujus rei habitudo ad legem, sed ipsius rei in se spectatæ substantia vel circumstantia. Si quis v. g. ignoret contractum cum amente initum esse invalidum, habetur ignorantia juris; si quis ignoret personam, cum qua contractum init, esse amentem, habetur ignorantia facti.

B. *Ratione effectus in ignorantiam antecedentem et concomitantem.* Ignorantia *antecedens* dicitur, quando est *causa actionis*, causa nempe privativa seu removens prohibens, quatenus *tollit scientiam*, quæ si adesset, actio non poneretur; talis est ignorantia venatoris, qui, omnino putans se occidere feram, amicum occideret. — Ignorantia *concomitans* est ea, quæ quidem cum actione *conjungitur*, non tamen in actionem influit, eo quod agens ita dispositus est, ut, si adesset scientia, equidem actionem poneret; ut cum aliquis vellet quidem occidere inimicum, sed ignorans occidit eum, putans se occidere cervum.

C. *Ratione subjecti in ignorantiam vincibilem seu voluntariam et invincibilem seu non voluntariam*, prout per *moralem diligentiam* depelli potuit vel non potuit.

Diligentia moralis. „Ad *moralem diligentiam* non requiritur, inquit Ballerini, ¹⁾ ut media omnia possible adhibeantur, quod onus esset non ferendum, sed quidam sufficit diligentiae modus, non mathematice sed morali

¹⁾ N. 61.

judicio definiendus atque humanæ conditioni accommodatus, quem nimirum *prudentes* et in rebus suis adhibere et ab aliis exigere ex æqui bonique norma, pro *rei gravitate* et pro *conditione personarum*, solent.” — Itaque diligentia moralis est dimetienda 1^o ex *rei gravitate*; major in medico requiritur diligentia si morbus est *periculosus* quam si agatur de aliqua leviore infirmitate. 2^o *Ex conditione personarum*; non omnes ejusdem diligentiae capaces sunt; non omnibus eadem præsto sunt media; rudes v. g. adhibent moralem diligentiam si in re morali consulant suum parochum; hæc tamen consultatio non semper sufficeret pro viro *erudito*.

Ignorantia invincibilis. Duplici modo ignorantia potest esse invincibilis seu non voluntaria: 1^o quando aliquis *adhibet media* ad ignorantiam expellendam, et nihilominus eam expellere non potest. 2^o Quando *non subit cogitatio de veritate indaganda*: non possumus enim indagare illud, de quo minime cogitamus. 1) Hinc si quis, nullatenus advertens diem vetitum, carnem comedat, ex ignorantia invincibili præceptum violat. Attamen attendendum est, utrum non ex culpa agentis profluat, nullam suspicionem, nullum dubium menti incidere.

Ignorantia vincibilis. Duplici modo ignorantia potest esse vincibilis seu voluntaria, scil. *directe* et *indirecte* etc.

1^o *Directe voluntaria* seu *affectata* est ignorantia, quando aliquis ignorantiam *in se* intendit. Hæc est ignorantia illorum, qui aliquam obligationem ignorare volunt a) *ne retrahantur a peccato*, quod tamen non committerent, lege cognita; b) *ut liberius et sine remorsu*

1) Suarez, *De voluntario*, Disp. 4, s. 1, N. 15.

peccent, parati peccare, lege etiam cognita; c) *quia legem contemnunt.* ¹⁾

2^o *Indirecte seu in causa voluntaria* est ignorantia, quæ profluit ex aliqua causa voluntaria. Hæc autem causa duplex est, scil. a) voluntarius neglectus mediorum ad scientiam acquirendam; ignorantia ex ista causa profluens dicitur ignorantia *negligentiæ*. b) Altera causa est voluntaria non-amotio impedimentorum, quæ usum scientiæ jam acquisitæ impediunt. Hæc ignorantia a S. Thoma ²⁾ et S. Alphonso ³⁾ dicitur ignorantia *malæ electionis*, et provenit ex passione vel pravo habitu voluntario. ⁴⁾ Hæc ignorantia laborant, qui inadvertenter blasphemant ex passione iræ, quam non comprimunt, vel ex habitu blasphemandi nondum efficaciter retractato.

Ignorantia negligentiae iterum est *crassa* seu *supina*, *simpliciter vincibilis*, et *strictè vincibilis*.

Crassa seu *supina* dicitur quando negligentia est *summa*, ita ut nullum vel vix ullum studium in veritate indaganda adhibeatur. *Simpliciter vincibilis* dicitur, quando negligentia est *communis*, ita ut adhibeatur quidem diligentia aliqua, non samem sufficiens. *Strictè vincibilis* est, quando negligentia fuit omnino levis. ⁵⁾

PROPOSITIO I.

Omnis ignorantia tollit voluntarium directum.

97. **Prob.** Voluntarium directum est illud, quod in se a voluntate intenditur. Atqui voluntas non potest

¹⁾ 1. 2. q. 76, a. 3. — ²⁾ 1. 2. q. 6, a. 8. — ³⁾ lib. 2, XXVI. — ⁴⁾ S. Alphons. lib. 2, N. 4, § *Secundo et Tertio*. — ⁵⁾ Ballerini, N. 61 seqq.

intendere objectum incognitum. — Ergo incognitum quātale non potest esse directe voluntarium.

PROPOSITIO II.

Ignorantia invincibilis, sive antecedens sive concomitans, tollit præterea voluntarium indirectum.

98. **Prob.** Voluntarium indirectum exigit tum *causam liberam*, tum *prævisionem* effectus secuturi. Atqui ignorantia antecedens, quæ est causa operis, in hypothesis Propositionis non est voluntaria; præterea omnem prævisionem effectus impedit. Quoniam vero idipsum efficit ignorantia concomitans, ipsa pariter omne voluntarium tollit. Ergo.

Nihil autem obstat, quod in casu ignorantie concomitantis opus equidem poneretur, si scientia adesset; nam ille animi affectus, licet ipse voluntarius, adeoque in materia illicita peccaminosus sit, *in ipsum opus ignoratum nullatenus influit.*

PROPOSITIO III.

Ignorantia vincibilis voluntarium non tollit, sed minuit.

99. **Prob. pars I.** *Voluntarium non tollit.* Etenim

a) Ignorantia vincibilis *antecedens* est causa operis, et quidem causa *libera*. Ergo opus ex ea secutum est voluntarium in causa.

Nec obstat quod opus hic et nunc absque cognitione fiat; potuit enim et debuit prævideri, eo quod, ut supponimus, jam aliquatenus saltem in confuso fuerit prævisum.

b) Ignorantia vincibilis *concomitans* non est quidem causa operis, agens tamen „tenetur expellere illam ignorantiam *ad evitandum actum*, et voluntarie hoc facere omittit. Ergo voluntarie etiam operatur, saltem *indirecte*. — Ignorantia voluntaria, quamvis sit *concomitans*, est ratio seu conditio, ut actus v. g. venandi *imprudenter seu incaute fiat*, et consequenter ut in illo censeatur volitus effectus inde secutus.” ¹⁾

Prob. pars II. Voluntarium minuit. Quod ignoranter fit non est voluntarium *in se*, sed tantum *in causa* (*Prop. I*). Atqui voluntarium in causa imperfectius et minori affectu est volitum, quam voluntarium in se; huic enim voluntas immediate adhæret, alteri nonnisi remote et mediate tantum. Ergo.

100. Scholium. Multi auctores docent ignorantiam *affectatam* non minuere, sed potius augere voluntarium. „Talis ignorantia, inquit S. Thomas, videtur augere voluntarium et peccatum.” ²⁾ Attamen, distinctione posita inter *ignorantiam affectatam ipsam* et *deordinatum affectum*, quo illa ignorantia quæritur, merito cum S. Bonaventura ³⁾ universim affirmatur ignorantiam quamcumque, *qua talem*, voluntarium minuere. Fieri tamen potest, ut ille deordinatus affectus habeat specialem malitiam, vi cuius transgressio legis fit magis peccaminosa. Hoc itaque sensu dici potest ignorantiam *affectatam* aliquando peccatum augere, dummodo præ oculis habeatur, illud, quod reipsa peccatum auget, non esse ignorantiam *qua talem*, sed *affectum illum malum*.

101. Coroll. 1^o *Sacrilegium* non est voluntarium

¹⁾ Suarez, *De volunt.* Disp. 4, s. 2, N. 19. — ²⁾ 1. 2. q. 78, a. 4. — ³⁾ In *II Sent.* Dist. 22, a. 2, q. 3.

homicidæ invincibiliter ignoranti dignitatem sacerdotalem personæ occisæ. Errores in exercendo munere commissi non sunt voluntarii medicis, iudicibus, sacerdotibus etc., si ordinariam, juxta conditionem sui muneris, adhibuerint diligentiam, necnon secundum negotii occurrentis gravitatem adhibeant debitam circumspectionem (*Prop. II*).

2^o E contra si medicus, iudex etc. advertant sibi deesse sufficientem scientiam ad debite munere suo fungendum, et hanc scientiam acquirere negligant, aut, antequam illam acquirant, munus exercere pergant, rei sunt omnium errorum, quos saltem in confuso prævident (*Prop. III*).

3^o Ignorantia vincibilis etiam in materia gravi excusare potest a gravi reatu, si ex una parte sufficiens cognitio desit, et ex altera parte negligentia levis sit. Cum enim peccata ex ignorantia sint tantum voluntaria *in causa*, reatus in actione ex ignorantia secuta non est alius, quam reatus, qui præcessit *in ipsa causa ponenda*; reatus enim, ut infra (N. 242) explicabitur, a voluntaritate mensuratur. ¹⁾

§ III.

De passionibus animalibus, deque earum influxu in voluntarium liberum.

102. Prænot. Quamvis intellectus et libera voluntas sint causa immediata actuum humanorum (N. 63), ipsa tamen voluntas in quibusdam actibus suis movetur ab appetitu sensitivo. Indagandum itaque est, quomodo actus appetitus sensitivi, qui *passiones* vocantur, in

¹⁾ Ballerini, N. 95.

voluntarium liberum influant. Quod ut intelligatur, explicabimus 1^o *quid sit passio animalis*; 2^o *quomodo generatim in voluntatem influat*; dein magis speciatim influxum tum *concupiscentie*, tum *metus* investigabimus.

SECTIO I.

Quid sit passio animalis.

103. Definitio passionis animalis. Quicumque motus appetitus sensitivi sensu latiori passiones dicuntur; usu tamen recepto hoc nomine veniunt soli motus *vehementiores* cum quadam corporis organica commotione se prodentes. Hoc modo accepta passio definitur: *Motus appetitus sensitivi ex imaginatione boni vel mali cum transmutatione corporis.* ¹⁾

Explicatur definitio. Dicitur 1^o *motus*; per passionem non intelligitur *facultas* ipsa, neque aliquis *habitus*, sed *actus*. Aliquando tamen ipsi *habitus vitiosi* passiones vocantur. Dicitur 2^o *motus appetitus sensitivi*; quo denotatur passionis *subjectum* seu principium *eliciens*, quod non est *facultas cognoscitiva* sed *appetitiva*, et quidem *facultas appetitiva sensitiva*. Dicitur 3^o *ex imaginatione* etc.; quo assignatur passionis principium *dirigens* seu *phantasia*; quo nomine hic intelligitur quicumque sensus internus apprehensivus. Dicitur 4^o *cum transmutatione corporis*; quo indicatur passionis *effectus*.

Omnis itaque passio stricte dicta duo importat, scil. 1^o *motum animi*, qui est quasi *formale*, 2^o *transmutationem corporis*, quæ est quasi *materiale* passionis. Defi-

¹⁾ 1. 2. q. 22.; Conf. Studiën op Godsdienstig, Wetensch. en Letterk. Gebied. 1875. *De Gemoedsaandoeningen bij den mensch en de dieren.*

ciente primo, passio non erit animalis, sed *corporalis*, quæ incipit a corpore et terminatur ad animam; deficiente altero, aderit quidem *motus animi*, non tamen passio stricte dicta. ¹⁾

104. Quomodo generentur passionēs. Omne animal vitali tendentia fertur in bonum sensibile, et ex adverso malum sensibile refugit. Cum jam aliquod objectum sensibile, mediantibus sensibus externis, vel aliunde, mediante cerebro, apprehenditur a phantasia, vis æstimativa illud objectum tamquam bonum vel tamquam malum percipit ac appetitui sensitivo proponit. Hinc appetitus sensitivus movetur ad objectum appetendum vel refugiendum.

105. Causæ passionum. Causa passionēs *immediate eliciens* est ipse appetitus sensitivus, ut ex definitione patet. Causæ autem *excitantes* vel *occasionales* sunt plurimæ, videlicet a) ipsa voluntas; b) habitus per actus proprios acquisiti, necnon inclinationes hæreditate a parentibus vel etiam a nutrice acceptæ; c) educatio et conversatio; d) interna complexio et temperamentum; e) ætas et sexus; f) clima; g) objecta externa et sensus; h) Deus et angeli, sive boni sive mali; i) una passio sæpe est causa alterius passionis. ²⁾

106. Discrimen inter passionēs animales et motus spirituales. Quemadmodum in parte inferiore hominis passionēs, ita in parte superiore sunt motus spirituales seu *affectus*, qui eodem nomine vocantur ac passionēs illæ, scil. amor, odium etc. Omnimode tamen a passionibus differunt, et quidem:

¹⁾ *De veritate*, q. 26, a. 2. — ²⁾ *De veritate*, q. 22, a. 9, ad 2 et 3; q. 24, a. 1, ad 19.

1^o ratione *principii dirigentis*, quod est *intellectus*, non *sensus*; 2^o ratione *principii elicentis*, quod est *voluntas*, non *appetitus sensitivus*; 3^o ratione *effectus*; siquidem voluntas, cum non sit affixa organo corporeo, se non movet cum transmutatione corporali quemadmodum appetitus sensitivus, cujus motus vehementiores se non continent in ipsa facultate, sed corpus præter consuetum statum transmutant. — Exemplum habes in homine irato, cujus oculi scintillant, os pallescit etc.

107. Passiones elementares numerantur undecim. Præter passiones mixtas, quæ ex multiplici passionum elementarium conjunctione nascuntur, ut v. g. misericordia, quæ partim ad amorem, partim ad tristitiam pertinet, *undecim* passiones elementares seu simplices, sub quibus omnes aliæ continentur, recenset S. Thomas, 1. 2. q. 22, 23, 25. Nec plures nec pauciores esse admittendas ostendit q. 23, a. 4. ¹⁾

108. Passiones sunt vel concupiscibiles vel irascibiles. Quoniam vero ipse appetitus sensitivus, ad quem passiones animales pertinent, duplex est, scilicet appetitus *concupiscibilis*, qui respicit bonum et malum *simpliciter sumptum*, et *irascibilis*, qui ex concupiscibili oritur ejusque defensor est, atque bonum et malum respicit ut *arduum*, pari modo distinguuntur passiones ipsæ. „Quæcumque passiones respiciunt *absolute* bonum vel malum, pertinent ad concupiscibilem; quæcumque vero passiones respiciunt bonum vel malum sub ratione *ardui*, prout est aliquid adipiscibile vel fugibile cum aliqua difficultate, pertinent ad irascibilem.” ²⁾

¹⁾ Conf. In *III Sent.* Dist. 26, q. 1, a. 3. Sol. Non apparet ratio cur *duodecim* enumeret Meijer, N. 119. — ²⁾ 1. 2. q. 23, a. 1.

109.

S C H E M A

passionum elementarium.

I. In appetitu concupiscibili.

Amor	Bonum	Odio
Desiderium seu Concupiscentia	Bonum absens	Fugæ
Gaudium	Bonum præsens	Tristitiæ
Odium	Malum	Amori
Fuga seu Horror	Malum absens	Desiderio
Tristitia	Malum præsens	Gaudio

versatur circa

opponitur ratione objecti

II. In appetitu irascibili.

Spes	Bonum arduum obtentu possibile per accessum	Desperationi	Timori
Desperatio	Bonum arduum obtentu impossibile per recessum	Spei	Audaciæ
Timor seu Metus	Malum arduum fugiendam per recessum	Audaciæ	Spei
Audacia	Malum arduum superandum per accessum	Timori	Desperationi
Ira	Malum arduum præsens, et quærit vindictam	Non habet passionem sibi oppositam, sed cessationem a motu.	

versatur circa

opponitur secundum operationem

opponitur ratione objecti

110. Contrarietas passionum. Ut ex Schemate liquet, passiones concupiscibiles ad invicem contrariantur secundum contrarietatem *objecti dumtaxat*; e contra passiones irascibiles præterea sibi contrariantur *secundum*

accessum et recessum ab eodem termino. Rationem vide apud S. Thomam, 1. 2. q. 23, a. 2.

Ira non habet passionem sibi contrariam sive ex parte objecti, sive ex parte accessus et recessus.

1^o Non ex parte *objecti*; objectum enim iræ est malum arduum præsens, cujus contrarium est bonum præsens, circa quod versatur *gaudium*, quod est passio *concupiscibilis*.

2^o Non ex parte *accessus et recessus* ab objecto; objectum siquidem est malum arduum præsens, ad cujus præsentiam necesse est, ut appetitus vel succumbat, et sic non exit terminos *tristitiæ*, vel motum habeat ad malum læsivum invadendum, quod pertinet ad *iram*. Motum vero ad fugiendum habere nequit, quia malum ponitur jam præsens vel præteritum. ¹⁾

111. Radix omnium passionum est amor.

„Omnes passiones derivantur ex uno principio, scilicet ex amore, in quo habent ad invicem connexionem.” ²⁾ Hinc S. Augustinus: „Amor inhians habere, quod amatur, cupiditas est; id autem habens eoque fruens lætitia est; fugiens quod ei adversatur, timor est; idque, si acciderit, sentiens, tristitia est.” ³⁾ Posito amore, omnes passiones nascuntur; sublato amore, omnes moriuntur. ⁴⁾

Quoad passiones singulatim sumptas vide S. Thomam, 1. 2. q. 26-48.

¹⁾ 1. 2. q. 23, a. 3. — ²⁾ 1. 2. q. 41, a. 2, ad 1. — ³⁾ *De civitate Dei*, lib. 14, cap. 7. — ⁴⁾ Vide latius Bossuet, *De la connaissance de Dieu et de soi-même*, chap. 1, § 6.

SECTIO II.

De influxu passionum in voluntatem.

112. In homine habetur mutuus virium superiorum et inferiorum influxus. „Secundum naturæ ordinem, propter *colligantiam* virium animæ in una essentia, et animæ et corporis in uno esse compositi, vires superiores et inferiores, et etiam anima et corpus invicem in se influunt quod in aliquo eorum superabundat.”¹⁾

113. Modus, quo passiones influunt. Passiones voluntatem movent *mediante phantasia*. Ista siquidem facultas, dum in appetitu sensitivo passionem excitat per phantasma boni sensibilis, simul illud phantasma *intellectui* exhibet, atque hoc modo ipsi subministrat *materiam* ad idem objectum voluntati proponendum. *Cum vero anima secundum suam partem sensitivam jam actu in passionis objectum sit inclinata*, ipsa quoque voluntas facile trahitur ad passionis objectum *libere* amplectendum.

114. Passiones tamen non necessitant. At vero, etsi passiones voluntatem in unam partem inclinent ejusque dissensum non raro admodum difficilem reddant, tantum tamen abest, ut voluntas vere *invita* ab iis *necessario* ad *consensum* præstandum moveatur, ut contra ipsis dominetur, atque ipsarum objectum vel prosequi vel respuere in ejus arbitrio sit; solam quippe beatitudinem seu felicitatem voluntas ex necessitate appetit (N. 87). Quod si passio præ sua vehementia *rationalis usum perturbaret*, de *rationali* consensu vel dissensu quæstio esse nequit.

¹⁾ De veritate, q. 26, a. 10.

115. Triplex est habitudo inter passiones et motus spirituales, scil. *par*, *ariditas* et *lucta*. Si in homine cum actu voluntatis jungatur consimilis actus appetitus sensitivi, v. g. cum tristitia rationali tristitia sensitiva, tunc habetur *par* seu *consensus*. Si vero actui voluntatis non respondeat consimilis actus sensitivus, tunc habetur *ariditas*. Si demum actui voluntatis reluctetur passio animalis, tunc ardet in homine *lucta spiritualis*, de qua Apostolus : „Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.” *Rom.* VII, 23.

116. Lucta inter passiones et voluntatem naturalis est. Attamen pugna illa, quæ in statu innocentiae *per donum gratiæ* aberat (*Conf. S. Theol.*), ex ipsis principiis, quibus constat natura humana, sponte profluit, adeoque homini *naturalis* est. Et sane, naturale est appetitui sensitivo tendere in objectum sensibile, *prout tale est*, adeoque appetere *quodvis* objectum, quod ei ut delectabile a sensu proponitur, sive illud objectum rationi convenit, sive repugnat. Hinc fieri nequit quin in homine exsurgant motus permulti in bonum sensibile delectabile *rationi repugnantes*. ¹⁾

Potest quidem libera voluntas *dissentire*, sed motum *extinguere* sæpe non potest. Quamvis enim appetitus sensitivus voluntatis imperio subdatur, illud tamen imperium, ut supra (N. 66) monuimus, non est *despoticum* (quale erat in statu innocentiae), sed est *mere politicum*, cui sæpe resistitur. ²⁾ Siquidem appetitus sensitivus et phantasia multum pendent ex corporis complexione variisque conditionibus, tum internis, tum externis, quæ voluntatis imperium sæpe effugiunt. ³⁾ Ergo,

¹⁾ c. *Genet.* lib. 4, cap. 52. — ²⁾ 1. 2. q. 17, a. 7. — ³⁾ 1. 2. q. 17, a. 7.

quantumvis reluctetur voluntas, in appetitu sensitivo permanere possunt motus inordinati, hancque diram concupiscentiæ luctam S. Augustinus „cruciantem difficultatem” merito vocat.

SECTIO III.

Concupiscentia.

117. Prænot. Ad quæstionem utrum et in quantum passiones animales voluntarium liberum tollant vel minuant, præ oculis habeatur, istas passiones in voluntatem influere vel ex *inclinatione* ad bonum sensibile, vel ex *aversione* mali sensibilis. Clarius et frequentius tamen in passione *concupiscentiæ* et *metus* iste influxus percipitur; et ideo de duabus istis passionibus speciatim agemus.

118. Concupiscentiæ notio. Nomine concupiscentiæ hic ne intelligatur pravarum cupidinum fomes seu *virium deordinatio*, quæ in homine lapso privationem justitiæ originalis est subsecuta, sed *quicumque motus appetitus sensitivi tendentis in aliquod sensibile bonum.*

119. Divisio concupiscentiæ. Concupiscentia dividitur :

A. *In ordine ad voluntatem, in non voluntariam et voluntariam.*

Non voluntarius est motus, qui sponte oritur in appetitu sensitivo sive ex complexione corporis, sive ex aliqua causa fortuita, puta ex fortuito aspectu rei turpis, sine deliberatione intellectus vel consensu voluntatis. Talis autem motus dicitur *primo-primus*.

Voluntarius est motus, qui sequitur voluntatis consensum. Quod fit dupliciter, scil. *directe* et *indirecte*.

Directe voluntarius est motus a) quem quis ex proposito excitat, vel b) cui, si in appetitu ex quacumque causa fuerit subortus, voluntas consentit.

Indirecte voluntarius est motus a) *per redundantiam*. Quando ipsi actus voluntatis sunt fortiores, tunc redundant in appetitum inferiorem. In *homine* enim appetitus sensitivus movetur quidem immediate per apprehensionem imaginationis vel æstimationis, sed tamen etiam mediate per apprehensionem rationis, *in quantum ejus conceptio in imaginatione inprimitur.* ¹⁾ b) *Indirecte voluntarius* est motus, qui præter intentionem profluit ex aliqua causa *libere* et *cum prævisione* motus secuturi posita, juxta principia explicata de voluntario indirecto (N. 74 et seqq.).

Motus voluntarius vocatur *secundo-primus* vel *secundo-secundus*, prout *imperfecte* vel *perfecte* voluntarius est.

B. *In ordine ad opus in antecedentem et concomitantem.*

Antecedens est motus, qui voluntatem ad aliquem actum ponendum allicit; quo modo ira in appetitu sensitivo suborta voluntatem impellit ad vindicandam injuriam.

Concomitans est motus, qui conjungitur aut accedit voluntati *ad agendum jam determinatæ*; ut si quis, ex motivo pure spirituali jam determinatus ad dandum aureum pauperi, conspecta hujus pauperis miseria, simul impelleretur compassione sensitiva.

¹⁾ I. 2. q. 77, a. 6; In III Sent. Dist. 15, q. 2, a. 2.

PROPOSITIO I.

Concupiscentia antecedens minuit; imo per accidens tollit voluntarium liberum; attamen si concupiscentia voluntaria sit, semper remanet voluntarium liberum indirectum.

120. Prob. pars I. Minuit voluntarium liberum.

Voluntarium liberum est illud, quod a voluntate procedit *cum indifferentia iudicii* (N. 80). Atqui hanc indifferentiam concupiscentia minuit. Animo enim per aliquam passionem agitato, intellectus veluti figitur in consideratione delectabilitatis objecti, et avertitur a consideratione mali objecto inherentis. Hinc majori quidem impetu, majori *spontaneitate*, sed *minori indifferentia*, adeoque minori libertate, homo in passionis aestu ad actum prorumpit. ¹⁾ Si tamen per passionem non minuere-
tur indifferentia iudicii, libertas quoque integra maneret.

Prob. pars II. Per accidens tollit voluntarium liberum. Etenim „passio quandoque est tanta, quod totaliter aufert iudicium rationis, sicut patet in his, qui propter amorem vel iram insaniunt.” ²⁾ Atqui ubi nulla est cognitio intellectualis, ibi nulla libertas.

Prob. pars III. In casu concupiscentiae voluntariae remanet voluntarium liberum indirectum, supposita nimirum sufficiente operis secuturi praevisione. Ratio patet ex dictis de voluntario indirecto (N. 74 et seqq.).

¹⁾ Suarez, *De volunt.* Disp. 3, s. 3, N. 7, 8. — ²⁾ I. 2. q. 77, a. 7.

PROPOSITIO II.

Concupiscentia concomitans in voluntarium liberum ipsius operis non influit, nisi forsam quoad operis prosecutionem.

121. Prob. pars I. *Non influit.* Etenim concupiscentia concomitans supervenit voluntati, quæ ad agendum *jam est determinata*. Atqui voluntas, jam determinata ex semetipsa, nullum influxum in ordine ad illam determinationem a concupiscentia accipit.

Prob. pars II. *Nisi forsam quoad operis prosecutionem.* Fieri enim potest ut passio, etsi non fuerit causa ipsius operis, tamen efficiat, ut homo in ipso operis exercitio minori deliberatione et indifferentia agat, quinimo ad ulteriora progrediatur, quam sibi præstituerat. Atqui sub hoc respectu passio non mere concomitans est, sed revera *antecedens*. Quocirca attendas ad *Propos. præced.* ¹⁾

122. Coroll. Hinc deduces, quid dicendum sit de voluntaritate blasphemiarum per passionem iræ causatarum. Nimirum, si ira *omnem* mentis deliberationem auferat, blasphemia non est directe voluntaria; secus vero est directe voluntaria, idque plus vel minus pro gradu deliberationis remanentis.

Si tamen ira voluntaria sit, semper blasphemia *saltem indirecte* seu in causa voluntaria erit, supposita sufficiente blasphemiarum prævisione.

Si demum ipsa ira involuntaria sit, deerit quoque voluntarium indirectum.

¹⁾ Bouquillon, N. 331.

Scholium de habitibus.

123. Habitus notio. Habitus est *qualitas permanens, qua potentie inclinatur ad similes actus reproducendos*. Prætermisiss habitibus, qui dantur in creatione vel supernaturaliter a Deo infunduntur, hic intelligimus *habitus acquisitos* qui nempe ex multiplicatis actibus similibus generantur. ¹⁾

124. Habitus voluntarius et non voluntarius.

Voluntarius est habitus, quando ex actuum frequentatione cum sufficiente prævisione contractus est, et nondum efficaciter retractatus. Quoniam tamen homines vix advertunt habitum aliquem *contrahi*, hinc habitus ordinarie exinde voluntarius erit, quod aliquis advertens habitum a se esse inadvertenter acquisitum, *non curet ipsum exstirpare*. ²⁾

Non voluntarius est habitus, quando aliquis habitum, sive advertenter sive inadvertenter contractum, hic et nunc jam animadvertens serio curat exstirpare.

125. Influxus in voluntarium liberum. Habitus in tantum minuit vel tollit voluntarium liberum, in quantum minuit vel tollit deliberationem et indifferentiam. Attamen actus, ex habitu *voluntario* positus, *saltem indirecte* liber est. Hinc blasphemia, ex voluntario blasphemandi habitu prolata, *saltem* indirecte libera est; imo ordinarie etiam directe libera erit propter remanentem deliberationem.

¹⁾ 1. 2. q. 49, a. 1 et a. 4, et ad 3; 1. 2. q. 51, a. 2. — ²⁾ Gury. Ballerini, I, N. 300.

SECTIO IV.

Metus.

126. Definitio metus. Metus est *trepidatio mentis instantis vel futuri periculi causa.*

127. Divisiones metus. Metus potissimum dividitur:

A. *Ratione intensitatis*, in metum *immoderatum* et *moderatum*.

Immoderatus est metus, qui hominem adeo percussit, ut usum rationis perturbet. Talis metus tollit omne voluntarium.

Moderatus est metus, qui usum rationis non impedit. Iste autem metus potest esse vel *gravis*, tum absolute, tum relative, vel *levis*.

Absolute gravis est metus, quando malum, quod timetur, magnum est et certo vel probabiliter imminet, sive ipsi personæ timenti, sive aliis ipsi specialiter conjunctis. Porro magnum malum est mors, mutilatio, gravis infamia etc. Talis metus dicitur *cadere in virum constantem*, quia iste metus etiam viros fortes movere solet.

Relative gravis est metus, si malum in se quidem leve, tamen relative grave sit, nimirum habita ratione personæ, quia nempe est formidolosa. Tales generatim sunt pueri, mulieres, senes etc.

Levis est metus, quando malum, quod timetur, leve est, vel non probabiliter imminet.

Timor reverentialis seu formido offendendi eos, qui ex sui conditione colendi et timendi sunt, ut parentes, su-

periores etc., ad metum revocatur. Idem dicatur de *dominatione*, quam nonnulli debilioris conditionis ex parte quorundam ita subeunt, ut in ipsorum præsentia videntur non esse sui juris. Huc maxime pertinet auctoritas hypnotisatoris in suum subjectum. ¹⁾

B. *In ordine ad actum*, in metum *concomitantem* et *antecedentem*.

Concomitans est metus, quando actus ponitur *cum* metu, non *ex* metu. Fur agit *cum* metu carceris. Talis metus, nedum voluntarium minuat, e contra *magna voluntatis signum est*.

Antecedens est metus, quando movet ad actum. Ita v. g. viator *cum* metu transit silvam, et *ex* metu suam pecuniam relinquit latronibus.

Metus antecedens est *causa totalis* alicujus actionis, si ipse solus ad agendum moveat, ut in exemplo viatoris; est *causa partialis*, si præter metum aliæ causæ ad actum impellant; ut v. g. in eo, qui die vetito in hospitiiis carnes manducat *ex* gula, et simul ne irrideatur.

PROPOSITIO.

Quod ex solo metu fit voluntarium est; plerumque tamen involuntarium secundum quid; quo casu voluntarium minuitur.

128. Prænot. Dicitur 1^o *ex metu*; intellige tamen metum *moderatum* (N. 127, A). Dicitur 2^o *ex solo metu*; si ad agendum simul aliæ causæ moveant, actus positus potius gratus, quam molestus esse potest; et in tali casu non semper constat, quid actus habeat ex me-

¹⁾ Bouquillon, N. 337.

tu quid aliunde. ¹⁾ Dicitur 3^o *plerumque*, i. e. *non semper*, involuntarium secundum quid. Ut enim merito animadvertit Suarez, „involuntarium non oritur *ex ipso metu*; ideo necesse non est semper cum illo conjungi. Nam quando quis metu mortis projicit merces in mare, nollet projicere: hæc nolletas non oritur ex metu mortis, sed *ex concupiscentia divitiarum.*” ²⁾ Hinc a) si affectus ad oppositum *non habeatur*, ut v. g. in mercatore vidente merces propter imminens naufragium projiciendas esse *prorsus corruptas*; vel b) si ille affectus *per metum tollatur*, eo quod non solum res ipsa, sed etiam *affectus ad illam rem* induceret malum, quod timetur, tunc actus ex metu positus non erit involuntarius secundum quid. Hinc timor inferni non solum ab actu malo, sed etiam ab *affectu* ad talem actum cohibet.

129. Prob. pars I. *Voluntarium est.* Voluntarium est illud, quod procedit ab appetitu rationali ex intellectuali cognitione finis. Atqui istiusmodi est illud, quod fit ex metu. Etenim qui ex metu operatur, ex prævio rationis judicio illum actum eligit propter bonum, cui opponitur malum imminens. Ergo.

Prob. pars II. *Plerumque est involuntarium secundum quid.* Quod fit ex solo metu, plerumque est contra inclinationem voluntatis, quia voluntas illud non amplecteretur, nisi necessarium foret ad præcavendum imminens malum. Atqui actus, qui *secundum se* voluntati repugnat, et nonnisi omnibus circumstantiis consideratis eligitur, est quidem voluntarius simpliciter, sed simul sub aliquo respectu seu *secundum quid* involuntarius. Ergo. ³⁾

¹⁾ Ballerini, N. 132. — ²⁾ *De volunt.* Disp. 3, s. 2, N. 2. — ³⁾ l. 2. q. 6, a. 6; Suarez, l. c., s. 1 et 2.

Prob. pars III. *Quo casu voluntarium minuitur.*

Quidquid fit cum repugnantia et in se displicet, minori affectu a voluntate eligitur quam illud, quod *suiipsius bonitate* voluntatem allicit. Atqui talis est actus ex solo metu positus cum affectu ad oppositum. Ergo.

130. Coroll. 1^o Errat Pufendorf ¹⁾ æquiparans metum violentiæ absolutæ. Etenim „in eo, quod agitur per vim, *voluntas non consentit*, sed omnino est contra motum voluntatis; sed id, quod per metum agitur, fit voluntarium ideo, *quia motus voluntatis fertur in id*, licet non propter seipsum, sed propter aliud, scil. ad repellendum malum, quod timetur.” ²⁾

2^o Metus, cui conjungitur involuntarium secundum quid, eo ipso quod minuit voluntarium, minuit quoque peccatum. Metus tamen quantumvis gravis, dummodo sufficientem deliberationem relinquat, in re gravi non excusat a peccato gravi, si sermo sit de actu *intrinsece* malo. Hinc graviter malum est perjurare ex metu mortis.

131. Nota pro solvendis difficultatibus.

1^o Metus gravis mali sæpe excusat a peccato, quod, secluso metu, actui inesset. Hæc tamen excusatio non oritur ex eo, quod metus tollit *voluntarium*, sed ex eo, quod in casu *ipsa obligatio legis extinguitur*. Leges nempe *positivæ* ex intentione legislatoris regulariter non obligant cum gravi incommodo. Hinc talis actus est voluntarius et simul nullo modo, ne *materialiter* quidem, malus, secus ac in hypothesi ignorantiae *invincibilis*; actus ex tali ignorantia contra legem positus non est voluntarius, et tamen *materialiter* malus.

¹⁾ *De jure nat.* lib. 1, cap. 5. — ²⁾ l. 2. q. 6, a. 6, ad 1.

2^o Lex positiva nonnullos actus metu extortos irritat vel rescindibiles reddit, non quasi illi actus carerent *libertate* requisita ad actum humanum naturaliter validum; sed quia *bonum commune* exigit tales actus sua *naturali* efficacia destitui per invalidationem *positivam*.

Caput III.

De actu humano moraliter spectato.

132. Prænot. I. Actus humani, ut supra (N. 60) diximus, sub duplici respectu considerandi sunt, scil. 1^o secundum *esse physicum*, seu quatenus entitative a *libera voluntate* procedunt; 2^o secundum *esse morale*. Primum ad objectum *materiale*, alterum ad objectum *formale* Ethicæ spectat. Actus humanos *Cap. II* sub priori respectu tractavimus; restat igitur, ut *hoc Cap.* de *esse morali* dicamus.

II. Quæstionem de moralitate quatuor *Articulis* expendemus: *I De moralitate generatim*; *II de moralitate in specie*; *III de moralitatis extensione*; *IV de actuum moralium proprietatibus*.

Circa moralitatem generatim *Artic. I* quæritur: 1^o *Quid sit moralitas*; 2^o *utrum sit discrimen intrinsecum inter bonum et malum*; 3^o *quænam sit norma objectiva quæ bonum et malum intrinsecum formaliter discriminat*; 4^o *quænam sit norma subjectiva*; 5^o *quænam sit norma obligans*; 6^o *quænam sit moralitatis partitio*.

ARTICULUS I.

De Moralitate generatim.

§ I.

Quid sit Moralitas.

133. **Moralitatis etymon.** Nomen moralitatis ex moribus ducit originem. Mos autem varie accipitur: sensu lato significat inclinationem naturalem, qua res quælibet propellitur ad similes actus exerendos; et hoc sensu ipsis brutis mores attribui possunt. ¹⁾ Sensu minus lato mos prædicatur de solis entibus liberis. Porro hoc sensu mos dicitur a) pro frequentatione actuum ($\epsilon\theta\omicron\varsigma$), b) pro inclinatione habituali per illam frequentationem acquisita ($\eta\theta\omicron\varsigma$), ²⁾ c) pro ipsis actibus humanis, quatenus sunt boni vel mali.

134. **Moralitatis notio.** Moralitas generatim accepta est illa actuum humanorum proprietas, secundum quam dicuntur boni vel mali; dicuntur autem boni vel mali, quatenus conveniunt vel repugnant regulis moralibus. „Habet actus humanus quod sit malus ex eo, quod caret debita commensuratione. Omnis autem commensuratio cujuscumque rei attenditur per comparationem ad aliquam regulam, a qua, si divertat, incommensurata erit.” ³⁾ Hinc moralitas est habitus convenientiæ vel disconvenientiæ actuum liberorum cum regulis moralibus.

135. Libertas est moralitatis fundamentum,

¹⁾ 1. 2. q. 58, a. 1. — ²⁾ „A voce $\epsilon\theta\omicron\varsigma$, id est consuetudo, $\eta\theta\omicron\varsigma$ est appellatum.” Aristot. *Magnorum Moralium*, lib. 1, cap. 7. — ³⁾ 1. 2. q. 71, a. 6.

Prob. 10. a
formali.

II

non vero moralitas ipsa. — *Est moralitatis fundamentum.* „Ibi incipit genus moris, ubi primo dominium voluntatis invenitur;” ^{libertatis} 1) unde „si non procedit a ratione deliberativa, actus non est proprie loquendo moralis.” 2) — Datur quidem, ut infra dicemus (N. 176, c), independenter a libertate agentis quædam moralitas improprie dicta seu *materialis*, non vero moralitas proprie dicta seu *formalis* ac *subjectiva*, quæ simpliciter bonam vel malam reddit ipsam voluntatem et hominem. Et sane nemo reputatur simpliciter bonus vel malus propter aliquem actum, cujus nullo modo dominus est; sed „homo dicitur bonus *ex eo quod habet voluntatem bonam, per quam reducit in actum quidquid boni in ipso est.*” 3)

Sub 2. do posteriori

libertas est qualitas
fundamentalis, quæ hæc
formis est secundum
suum, generalis per se
in objecto, propria
appetitus, vel non appe-
titus vel appetitus opposi-
tum.

Libertas tamen non est moralitas ipsa. Eo ipso enim quod actus ^{libertatis} immediate vel mediate a voluntate procedit ^{libertatis} cum indifferentia iudicii liber est (N. 79, seqq.), sed nondum moralis, quia nondum concipitur regula, cum qua commensuretur. Et sane concipi potest alicujus actus perfecta libertas, quin concipiatur ejus bonitas aut malitia. — Quinimo, permanente uno et eodem esse *libero*, actus humanus ex una moralitatis specie *transire* potest ad alteram, v. g. ex bono fieri malus. Hinc moralitas est aliquid actui libero *superadditum*, aliqua *proprietas* actus liberi.

top

Actus moralis


136. Quid sit actus moralis. Cum igitur ad actum morale constitutum duo concurrant, scil. 1^o *libertas*, quæ est moralitatis *fundamentum*, et 2^o *habitus* ad regulas morales, quæ moralitatem for-

W. m. a. e. d. h. o. m. e.
libertatis est
libertatis est
libertatis est

1) In 11 Sent. Dist. 24, q. 3, a. 2. — 2) 1. 2. q. 18, a. 9; Suarez, De bonit. et malit. Disp. 1, s. 1. — 3) c. Gent. lib. 3, cap. 116, N. 2.

1. J. d. e. l. i. b. e. r. t. a. t. i. s. = alle wat meedelt, hoc meedelt, hoc meedelt, hoc meedelt
2. J. d. e. l. i. b. e. r. t. a. t. i. s. = ook normaal, dit is ook normaal, dit is ook normaal
3. J. d. e. l. i. b. e. r. t. a. t. i. s. = ook normaal, dit is ook normaal, dit is ook normaal

II. Quoniam vero, ut Aristoteles ¹⁾ monuit, illæ solæ theses in quæstionem vocandæ sunt, de quibus dubitantes indigent *ratione*, per quam de veritate instruantur, non autem illæ, de quibus dubitantes indigent *pœna* vel *sensu*, ideo non quærimus: *utrum sit aliquid discrimen inter bonum et malum*, sed: *quale sit discrimen*; *utrum essentialè ac intrinsecum, an accidentalè ac extrinsecum* dumtaxat.

Handwritten: 
 Handwritten: *Handwritten notes in the left margin of this section.*

139. Quid sit discrimen intrinsecum, quid extrinsecum. — Porro discrimen *intrinsecum* est illud, quod fundatur *in ipsa natura* actuum humanorum. E contra discrimen *extrinsecum* non fundatur in natura actuum, sed actibus humanis *accidit ex aliqua causa extrinseca*, puta ex lege civili.

Handwritten: *Handwritten notes in the left margin of this section.*

140. Errores. Philosophi permulti, quamvis admittant discrimen inter bonum et malum, negant tamen actus humanos *ex natura sua* esse bonos vel malos, et omne discrimen inter bonum et malum repetunt ex aliqua causa *extrinseca ac positiva*; hinc eorum systemata dicuntur *Positivismus moralis*. — Quoniam vero illa causa extrinseca ac positiva vel in *homine* vel in *Deo* ponitur, inde habetur distinctio *Positivismi humani* et *Positivismi divini*.

Handwritten: *Handwritten notes above section 140.*

A. Positivismus humanus recurrit ad aliquam causam *humanam*. Nimirum:

Handwritten: *Handwritten notes above the list.*

1^o Vel ad *influxum educationis*, ut Montaigne, † 1592, vel ad *opinionem ac consuetudines populorum*, ut Saint-Lambert, † 1803; — 2^o vel ad *leges civiles*, ut Hobbes, † 1679, Rousseau, † 1778, necnon Schola pantheistica Hegeliana et huic cognatus *Liberalismus*.

¹⁾ *Topicorum*, lib. 1, cap. 9.

Handwritten: *Handwritten notes at the bottom of the page.*

homini naturaliter convenientia. Hujusmodi autem sunt: unicuique quod suum est conservare, et ab injuriis abstinere. Sunt igitur aliqua in humanis actibus *naturaliter recta.*"

III, Item: secundum naturalem ordinem corpus hominis est propter animam, et inferiores virtutes animæ propter rationem, sicut et in aliis rebus materia est propter formam, et instrumenta propter principalem agentem. Ex eo autem, quod est ad aliud ordinatum, dicitur ei auxilium provenire, non autem aliquod impedimentum. Est igitur naturaliter rectum, quod sic procuratur ab homine corpus et inferiores vires animæ, ut ex hoc et actus rationis, et bonum ipsius minime impediatur, magis autem juvetur. Si autem secus accideret, erit naturaliter peccatum. Violentiæ igitur et comessationes et inordinatus venereorum usus, per quæ actus rationis impeditur, et subditi passionibus, quæ liberum usum rationis esse non sinunt, sunt *naturaliter mala.*"

corpus hominis est propter animam
*It. dicitur in verbis
 si malis virtutibus
 et sub. hinc est
 de ordine.*

IV, Præterea: unicuique naturaliter conveniunt ea, quibus tendit in suum finem naturalem; quæ autem e contrario se habent sunt ei naturaliter inconvenientia. Ostensum est autem, quod homo naturaliter ordinatur in Deum, sicut in finem. Ea igitur, quibus homo inducitur in cognitionem et amorem Dei, sunt *naturaliter recta*; quæcumque vero e contrario se habent, sunt *naturaliter homini mala*. Patet igitur quod bonum et malum in humanis actibus non solum sunt *secundum legis positionem*, sed etiam *secundum naturalem ordinem.*"¹⁾

*alio modo
 est naturaliter
 dicitur naturaliter
 et e contrario*

Prob. II. *Ex perpetua, universali et indelebili per-*

¹⁾ c. *Gent.* lib. 3, cap. 129.

suasione conscientie humanæ. Multæ actiones *semper et apud omnes* habitæ sunt ut bonæ, v. g. colere Deum, honorare parentes, succurrere misero; vicissim multæ actiones eodem modo habitæ sunt ut malæ, v. g. odisse Deum, contemnere parentes, affligere miserum. ¹⁾ Atqui hoc factum psychologikum explicari nequit, nisi inter istiusmodi actiones discrimen morale *intrinsecum* existat. Etenim persuasionem adeo constantem et universalem, quæ nequidem inter indomitaram passionum tumultum et qualiacumque temporum locorumque adjuncta deleri vel etiam labefactari potuit, talem, inquam, persuasionem ab aliqua causa *extrinseca et contingente* repetere, est adstruere effectum sine causa proportionata. Ad universalem et necessariam causam igitur recurrendum est; hæc autem alia esse nequit, nisi *ipsa rerum natura.*

Prob. III. *Ex eo quod contrariæ opiniones prorsus absurdæ sunt, ut ex tribus Propos. seqq. constabit.*

¹⁾ Universalitatem conscientie *religiöse* apud nationes antiquas testantur Plato, Aristoteles, Tullius, *De leg.* lib. 1, cap. 24, Seneca, *Epist.* 117, Plutarchus, *Adv. Colotem Epicureum*, cap. 31. — De nationibus barbaris hujus temporis idem testantur præstantissimi Ethnologi, inter quos De Quatrefages, *L'Espèce humaine*, livr. X, chap. 35, Peschel, *Völkerkunde*. Per testimonia præsertim ex periodico *Die katolischen Missionen* collecta idem demonstrat Pesch, *Der Gottesbegriff in den heidnischen Religionen der Neuzeit*, Freiburg, Herder, 1888. — Quod attinet officia hominis *ad seipsum et ad alios homines*, testatur de Quatrefages ubique gentium haberi ideam *proprietas, reverentiam vitæ humanæ, sensum honoris et pudoris*. — Merito concludit: "En resumé, s'il est douloureux de reconnaître le *mal moral* chez les races, chez les nations, qui ont porté au plus haut degré la civilisation sociale, il est consolant de constater le *bien* chez les tribus les plus arriérées, et de le voir chez elles avec ce qu'il y a de plus élevé, de plus délicat. Nulle part l'identité fondamentale de la nature humaine ne s'accuse d'une manière plus évidente." *L'Espèce humaine*, livr. X, chap. 34. Vide etiam Cathrein, *Moralphilosophie*, I, Anhang, pag. 484, seqq.

PROPOSITIO II.

Moralitas non pendet ab opinionibus et consuetudinibus populorum.

143. **Prob. I.** Populorum opiniones et consuetudines singula ætate non modo in singulis nationibus, verum etiam in singulis urbibus et fere familiis discrepant. Atqui iudicium de moralitate multarum saltem actionum idem plane et immutabile fuit semper et ubique. Ergo iudicium istud a causa adeo mutabili, qualis sunt illæ opiniones et consuetudines, oriri non potuit.

Prob. II. Populorum opiniones et consuetudines non sunt norma suprema boni et mali, si ipsæ subjacent normæ superiori. — Atqui ita est. Etenim natura duce multas opiniones et consuetudines repudiamus ut turpes. Quis enim tam dissimilis homini, qui non abhorreat immanem servitutem, abominandam anthropophagiam aliaque id genus, quamvis apud nonnullas degeneratas nationes fuerint publica opinione probata et sæculari consuetudine sancita? Sapienter Tullius: Hæc autem in opinione existimare, non in natura posita, dementis est. Nam nec arboris, nec equi virtus, quæ dicitur (in quo abutimur nomine), in opinione sita est, sed in natura. Quod si ita est, honestæ quoque et turpia natura dijudicanda sunt."¹⁾

PROPOSITIO III.

Non omnis moralitas pendet a legibus civilibus.

144. Prænot. Dicitur: non *omnis* moralitas;

¹⁾ De leg. lib. 1, cap. 16.

De arboris virtute & equi virtute, quod virtutibus ut de virtute hominis, sic virtus est in re, quæ non pendet a legibus civilibus, sed a natura.

nam leges civiles, *dummodo justæ sint*, actus humanos *extrinseca* seu *positiva* moralitate afficiunt.

145. Prob. I et II eodem argumento ac *Prop. II.*

— Siquidem leges civiles singula ætate, et apud diversos populos perpetuæ mutationi sunt obnoxie. —

III Præterea: „Si populorum jussis, inquit Tullius, si principum decretis, si sententiis judicum jura constituerentur: jus esset latrocinari, jus adulterare, jus testamenta falsa supponere, si hæc suffragiis aut scitis multitudinis probarentur.”¹⁾ Atqui talem abnormitatem natura rationalis evidenter respuit. Ergo.

Prob. IV. Si omnis moralitas pendet a lege civili, omnis actio *antecedenter* ad legem civilem erit *indifferens*, adeoque neque bonum neque malum erit *legem observare vel non observare*. Atqui, si indifferens est, utrum lex observetur an violetur, actio lege civili præcepta vel prohibita neque bona, neque mala erit. Ut ergo ex lege civili moralitas profluat, saltem hoc principium omni legi civili antè est admittendum: *Bonum est legem civilem servare, malum est legem civilem violare.*

PROPOSITIO IV.

Non omnis moralitas pendet a libera Dei voluntate.

146. Prob. I. Opinio ista habet falsum fundamentum. Etenim supponit rerum essentias pendere a *libera voluntate divina*. Atqui rerum essentia proxime pen-

¹⁾ *De leg. l. c.*

dent ab intellectu divino, remote vero ab essentia divina.
 Conf. *Ontol.* Ergo.

Prob. II. Si omnis moralitas pendet a libera voluntate divina, nulla actio est adeo turpis, quin honesta, et pariter nulla actio est adeo honesta, quin turpis esse potuisset ex libero Dei decreto. Atqui hoc repugnat. Quis enim adeo insulsus, ut sibi persuadeat odium Dei ab Ente infinite perfecto probari, amorem Dei unquam potuisse improbari? Hinc S. Thomas: „Dicere, quod ex simplici voluntate (Dei) dependeat justitia, est dicere, quod divina voluntas non procedat secundum ordinem sapientiæ, quod est blasphemum.” ¹⁾ Ergo.

Prob. III. Si antecedenter ad liberum divinæ voluntatis decretum neque bonum, neque inaleum est huic decreto actiones conformare, etiam, decreto posito, actio indifferens erit.

§ III.

Quenam sit norma objectiva, quæ bonum et malum intrinsecum formaliter discriminat.

147. Prænot. I. Existit discrimen intrinsecum inter bonum et malum, ut contra Positivismum moralem demonstravimus. Atqui simul existere debet aliqua ratio formalis, in qua illud discrimen fundetur, seu, quod perinde est, existere debet aliqua norma, quæ bonum et malum formaliter discriminet.

II. Quoniam vero, ut ex demonstratis patet, illud discrimen non pendet a facultatibus vel actibus ipsius hominis, sed in ipso ordine objectivo positum est, et

¹⁾ De verit. q. 23, a. 6.

Handwritten notes:
 De intellectu divino...
 remote...
 essentia divina...
 Conf. Ontol. Ergo.

Handwritten notes:
 Antecedenter ad liberum...
 voluntatis decretum...
 neque bonum, neque inaleum...
 huic decreto actiones conformare...

Handwritten notes:
 Ratio formalis...
 in qua illud discrimen fundetur...

Handwritten notes:
 Moral...
 norma...
 discriminat...
 Form...
 norma...
 discriminat...

Large handwritten notes at the bottom:
 1^o Quod...
 a) omnia...
 I...
 II...
 III...
 IV...

inter omnigenas temporum, locorum, rerumque vicissitudines *immutabile* apparet, hinc ipsa *norma* hujus discriminis similiter *objectiva* et *immutabilis* sit oportet.

III. Quætionem de norma *objectiva* triplici Sectione tractabimus, scil. 1^o *impugnabimus errores*, 2^o *demonstrabimus doctrinam veram*, 3^o rem magis declarabimus nonnulla addendo *de ordine naturali et supernaturali*.

SECTIO I.

Recensentur et impugnantur sententiæ erroneæ.

148. **Errores.** Brevitati consulentes præcipuos tantum errores indicabimus. Porro inter errores hic recensendos nonnulli simul pertinent ad *Positivismum moralem*. Ratio est, quia aliquis auctor suo *philosophandi modo* pertinere potest ad eos, qui discrimen *intrinsecum* inter bonum et malum tollunt, et simul sua *norma discretiva* boni et mali incidere in errores hic impugnandos. — Isti autem errores reducuntur ad duplicem classem, scil. ad *Eudæmonismum* et *Deontologismum rationalem*.

A. **Eudæmonismus** (*εὐδαιμονία*, *felicitas*) seu *Utilitarismus* bonum morale generatim reponit in actuum humanorum *utilitate ad temporalem hujus vite felicitatem*. — Distinguitur in *Utilitarismum individualem* et *socialem*.

I. **Utilitarismus individualis** intendit utilitatem cujusque *privatam*. Dicitur *Epicurismus*, si intendat voluptates *corporales*; nomen *Utilitarismi* retinet, si intendat *quodcumque* bonum hujus vitæ.

Epicurismus inter antiquos profitentur Aristippus, Epicurus, Lucretius etc.; inter recentiores de Lamettrie, † 1751, de Condillac, † 1780, Helvetius, † 1771, auctor

operis *Système de la nature* (de Holbach, † 1789) etc., necnon Materialistæ hodierni.

Utilitarismus individualem inter antiquos propugnat Democritus cum aliis, inter recentiores Spinoza, † 1677, Laroche Foucauld, † 1680, Malthus, † 1835, ¹⁾ Bastiat, † 1850, etc.

II. *Utilitarismus socialis* intendit bonum societatis humanæ. Hanc doctrinam profitentur:

a) *Empirismus moralis*, ducibus Cumberland, † 1719, et Shaftesbury, † 1713.

b) *Schola Scotica*, duce Reid, † 1796.

c) Primarius tamen Utilitarismi socialis magister fuit *Bentham*, † 1832, qui prædecessorum doctrinas in unum collegit, et ex iis completum systema privatum, sociale ac politicum contexit.

d) *Philosophia Positivismi*; inter hujus Scholæ magistros cminet Stuart-Mill; ex nostratibus accedunt Van der Wijck ²⁾ aliique. ³⁾

e) *Ethica darwinistica* (Darwin, † 1882) seu *Evolutionis socialis*, quæ principia darwiniana applicat ordini morali. Quemadmodum tota rerum universitas continua evolutione (Creatorem negant Darwinistæ) ad hodiernum statum pervenit, consimili modo sese evolvit ac transformat moralitas. Siquidem *sensus moralis* ex instinctu animalium gregalium (quæ ut protoparentes venerantur Darwinistæ) pronatus est. Itaque moralitas initium habens ex *Egoismo individuali*, omnibus animalibus communi, per continuum humanitatis culturam, simul cum formis socialibus, lento sed jugi processu se evolvit ad *Egoismum socialem* [seu *Altruismum* = vivere pour autrui, *Aug. Comte*]. ⁴⁾ Hinc

¹⁾ Ab isto auctore nomen duxit impium systema *Malthusianismi*, cujus magis famosus apostolus in Neerlandia est *Van Houten*. — Ipse Malthus tamen explicite non tradidit abominandas turpitudines, quæ ab hodiernis Malthusianis publice ventilantur, et pro gradu academico obtinendo in Neerlandia propugnantur. — ²⁾ *Onderscheid tusschen goed en kwaad*. — ³⁾ Hunc errorem Positivismi latius impugnat rationalista *Hurrell Matlock* in libro *Is life worth living*, cujus versionem gallicam elaboravit F. J. Forbes S. J., *La vie vaut-elle la peine de vivre*. Vide *Les doctrines économiques depuis un siècle*, Ch. Périn. — ⁴⁾ Darwin, *De afstamming van den mensch*, bewerkt door Hartogh Heijs van Zouteveen, I D. IV H.

moralitas non est *absoluta* sed mere *relativa* i. e. accommodata conditioni sociali, seu, ut loquitur Vogt, „*conditionis socialis consecrarium*;"¹⁾ unde alia est moralitas pro homine silvestri, alia pro barbaro, et rursus alia pro civilisato.²⁾

Theoriam evolutionis præ cæteris elaboravit *Herbert Spencer*, statuens totum Ethicæ objectum esse *utilitatem reipublicæ*, ex legibus vitæ et conditionibus existentiae in unoquoque populo scientifice determinandam. — Moraliter bonum est illud, quod *conservat ac auget vitam* tum agentis, tum aliorum; vita autem mere appetibilis est propter delectationem ipsi annexam; unde *bonum morale consistit in bono delectabili*. Est quidem pugna inter Egoismum et Altruismum, sed pugnam illam terminabit continua generis humani evolutio, qua tandem *singula individua ita societati accommodabuntur*, ut *suam privatam actualem voluptatem quærendo eo ipso bonum commune omnium procurent*.³⁾ — Et quidem in isto Systemate Evolutionis socialis culmen sapientiæ se attigisse jactat philosophia moderna.⁴⁾

f) *Pantheismus* (Hegel, † 1831), necnon *Panentheismus* [Krause, † 1832, Ahrens, Tiberghien⁵⁾] recurrunt ad *continuum progressum humanitatis versus idealem culturam*.

g) *Pessimismus* modernus, in Pantheismo fundatus, aliquo modo accenseri potest Eudæmonismo, non quidem quasi admitteret aliquam *felicitem positivam*, sed in quantum tendit ad *liberationem a miseriis*.

Moderni Pessimismi magister *Schopenhauer*, † 1860, docet hunc mundum, alicujus cæcæ volitionis effectum, esse *pessimum*. Cum *Buddhismo* Indorum⁶⁾ in *voluntate*

¹⁾ Vide Darwin etc., l. c. Aant. 6. — ²⁾ Ita Letourneau, *L'évolution de la morale*. Alia Darwinistarum effata vide in De Katholiek, XCVIII, *Ontwikkeling. Godsdienst en Zedelijkheid*, pag. 273. — ³⁾ Hoc systema elaboravit præsertim in libro *The data of Ethics*. Similia fere habet Guyau in libro *Esquisse d'une morale sans obligation ni sanction*. — ⁴⁾ Systema Herberti Spencer egregie refutavit Cathrein, *Die Sittenlehre des Darwinismus*, Freiburg, Herder, 1885, et brevius in *Moralphilosophie*, I, pag. 142, seqq. — ⁵⁾ Systema morale pantheistæ Cannegieter, *De Zedelijkheid*, vide in *Studiën* etc., XII jaargang, I D. pag. 307. — ⁶⁾ Buddhismi auctor dicitur *Cakya-Muni*, cognomento *Buddha*, i. e. *sapiens* (forsitan sæc. V. vel IV. a. Chr.) — Ad Buddhismum per Europam propagandum nuperrime prodiit *Catéchisme bouddhique, esquisse de la doctrine de Bouddha Gotama, en forme*

vivendi causam omnium malorum reponens, tamquam principium statuit *hanc voluntatem esse extinguendam*. Novus iste Apostolus, ad tramites Buddhismi, hominibus commendat vitam asceticam, abnegationem, abstinenciam etc., non quidem ut *coronam incorruptibilem* accipiant, sed ut tandem aliquando, pessima illa voluntate vivendi destructa, in *Nirvana* inveniant quietem a miseriis, i. e. ut, *extincta personalitate propria, absorbeantur nihilo*. In tædio existentiae, in sensu miseriae necnon in commiseratione erga homines et animalia est radix omnis moralitatis. Inde statuit illam actionem esse moraliter bonam, quæ, *proprio agentis commodo prorsus excluso, ex commiserationis motivo intendit sublevare miseriam alienam.*¹⁾

Entis inconscii philosophus *Von Hartmann*, famosissimus discipulus Schopenhauer, finem hujus mundi in eo collocat, ut quodam universali suicidio existentiam suam destruat. Porro *in præparanda hac mundi annihilatione* (quam *redemptionem* vocat) *per culturam* est omnis moralitas. Si quidem *Absolutum* in prosequendo felicitatem tria stadia percurrit: in primo stadio quæsit felicitatem in *bonis terrenis*, at frustra; in altero stadio speravit *bona futura caelestia*; hanc autem spem christianam scientia abstulit; demum in præsentī stadio arripit *progressum* artium ac scientiarum necnon rerum politicarum ac socialium; at iterum, progrediente cultura, pro maxima parte generis humani accumulatur miseriae; inde fit, ut voluntas omnem spem felicitatis positivæ deponat, et in annihilatione requiem exspectet. Porro quo latius culturæ progressus extenditur, eo latius inter homines prævalebit conscientia desperatæ felicitatis, donec immani conspiratione velint

de questions et de réponses à l'usage des Européens, avec notes explicatives, par le Subhâdra Bhikshu (monachus mendicans). Vide *La science catholique*, V, 1891, *Le catéchisme du Bouddhisme moderne*. — Quamvis Buddhismus prædicet religionem sine Deo, redemptionem sine Redemptore, beatitudinem omnis existentiae personalis destructivam, i. e. *Nirwanam*, Increduli tamen hanc abjectam doctrinam summis laudibus celebrant, et quidquid veri in Christianismo inveniat Buddhismo acceptum referunt. Vide *Studiën*, XIV jaarg. II D., *Buddhisme en Christendom*. *Stimmen aus Maria-Laach*, XXXIII, *Die buddhistische Moral*, pag. 17, et *Die sittigenden Erfolge des Buddhismus*, pag. 118; *Etudes religieuses*, XLV, *Le parraine du Bouddhisme en France*. — ¹⁾ *Die beiden Grundprobleme der Ethik*.

Nirvanam. Inde mundus annihilabitur, et *Inconscium* re-
ducetur ad statum pristinum, eritque iterum *essentia sine*
existentia. Idem tamen funestissimus processus in æternum
renovabitur. ¹⁾

B. Deontologismus rationalis (δέον, quod decet) ra-
tionem formalem boni ac mali repetit *ex sola decentia*
rationali. — Systemata erronea huc pertinentia sunt

I Stoicismus et Rationalismus moralis.

I. *Stoicismus* (στοῖζ, porticus), duce *Zenone*, bonum mo-
rale reponit in *vite conformitate cum natura rationali*. Non
constat utrum per naturam Stoici intellexerint solam na-
turam cujusque *individualement*, an vero naturam *universalem*
totius mundi. Hoc alterum magis probabile est. Inter Ro-
manos Stoicismum profitentur Seneca, † 65, imperator
Marcus Aurelius, † 180, etc.

Quamvis autem doctrina Stoicorum, quatenus intelli-
gi potest de *proxima* norma moralitatis, quoad principium
fundamentale vera sit, Stoici tamen in multis errabant.
Siquidem 1^o finem ultimum in *virtute* quærebant; 2^o ne-
gabant *essentiales* naturæ relationes *ad Deum*, causam
primam et finem ultimum; 3^o reprobabant, ut turpem,
proprie felicitatis respectum; 4^o *passiones animales* habe-
bant ut *moraliter malas*, et ideo in sapiente requirebant
plenam *apathiam* seu omnimodam passionum carentiam.

II. *Rationalismus moralis*. — Stoicorum errorem susci-
pavit *Kant*, † 1804, multisque erroribus auxit.

Juxta parentem *criticæ philosophiæ* *natura rationalis est*
finis in se, cui nullus alius finis substitui potest. Quemad-
modum finem, ita homo in semetipso pariter habet regu-
lam moralitatis, *quam ratio autonoma*, i. e. sui legislatrix
atque independens a quocumque alio legislatore, ex pro-
prio suo fundo eruit. Hinc *regula moralis est aliqua forma*
ratiōis puræ, quæ secundum se comprobatur, non vero
quatenus conformis est *essentialem ordinem rerum vel etiam*
ordinationem divinam.

Illam autem *lex ratiōis autonomæ* sese enuntiat per
imperium categoricum, i. e. 1^o modo *obligatorio*, nimirum

¹⁾ *Philosophie des Unbewussten, et Phänomenologie des sittlichen Bewusst-
seins.*

propter reluctantem sensualitatem, et 2^o modo absoluto, quia imperat *suiipsius gratia*, non vero in ordine ad ali- quod bonum consequendum.

Supremum principium hujus legis est: *Sic age, ut norma tuæ voluntatis simul principium universalis legislationis esse possit.*

Huic legi rationis parendum est *ex pura reverentia legis*, non vero intuitu alterius boni obventuri, aut alterius cu- jusque rationis a lege distinctæ.

Siquidem in actionibus duo sunt distinguenda, *legalitas* et *moralitas*. Prior consistit in *objectiva* conformitate cum lege, qua agens vult idipsum quod lex rationis præcipit.

2. E contra *moralitas* consistit in *subjectiva* conformitate cum lege, qua agens vult idipsum quod lex præcipit, unice quia *præceptum est*, seu ex reverentia legis. Hinc si quis actionem lege rationis præceptam ponat vel ex inclinatione animi, vel intuitu præmii obtinendi pænæ vitandæ, vel intuitu voluntatis divinæ etc., actio illa objective quidem *legalis*, sed *moraliter turpis* est. ¹⁾

149. Nota. Cum specialis singulorum errorum re- futatio limites hujus Compendii excedat, rem absolvemus Prop. duplici, una contra *Eudæmonismum*, altera contra *Rationalismum moralem*. Interim notetur moralitatem *sub- jectivam* tolli in quocumque *Determinismo*, et omne dis- crimem inter bonum ac malum evanescere in *Pantheismo*.

PROPOSITIO I.

Tegen het Utilitaris mus
**Discrimen inter bonum et malum non fundatur
 in actuam humanorum utilitate, sive
 privata sive etiam publica.**

150. Prænot. Utilitas, si vera ponatur, cum honestate *materialiter* congruit, quia nulla res homini

¹⁾ *Grundlegung zur Metaphysik der Sitten, et Kritik der praktischen Ver- nunft.* Quoad istos et alios errores vide Stöckl, *Geschichte der neueren Phi- losophie*; Meijer, lib. 2, cap. 1, a. 1; Cathrein, I, 3 Buch, 1V Kap.

Handwritten notes in Latin script, including phrases like 'Locus deinde', 'propter reluctantem sensualitatem', and 'discrimen inter bonum ac malum'.

Handwritten notes in Latin script, including 'In hanc veritatem' and 'Tol' de n' a' n' t' h' l' g' e' d' e' l' l' i' g' e' r' e' t' u' r'.

Handwritten signature or initials.

vere utilis est, nisi sit honesta; et vicissim omnis res honesta vere utilis est naturæ rationali. Attamen honestas non ex utilitate, sed e contra utilitas ex honestate dijudicanda est. „Est nihil utile, inquit Tullius, quod idem non honestum, nec quia utile, honestum est; sed quia honestum, utile.” ¹⁾

151. Prob. utraque pars simul. 1^o *Ex falso, cui Utilitarismus innititur, fundamento.* Utilitarismus supponit supremam felicitatem ac destinationem hominis individui vel generis humani perituris bonis hujus terrenæ vitæ contineri. Atqui finis ultimus hominis est gloria externa Dei ac beatitudo perfecta vitæ futuræ. (Conf. Cap. I). Utilitarismus igitur errat circa *finem*; „summum autem bonum si ignoretur, inquit Tullius, *vivendi rationem* ignorare necesse est. Ex quo tantus error consequitur, ut quem in portum se recipiant scire non possint.” ²⁾

2^o *Ex eo quod norma moralis debet esse objectiva ac immutabilis.* Discrimen inter bonum et malum est objectivum ac immutabile; ergo *norma moralis* objectiva ac immutabilis sit oportet. Atqui utilitas, sensu adversariorum accepta, est norma mere *subjectiva* ac valde *mutabilis*. Etenim utilitas illa pendet a singulorum individuorum conditione, a temporum locorumque adjunctis, a diversa societatis evolutione ac cultura etc. Ergo.

3^o *Ex conscientia testimonio.* Conscientia testatur, non quamcumque actionem, quæ ad temporale bonum individuorum vel etiam societatis conducit, eo ipso esse moraliter bonam; et vicissim non quamcumque actionem, quæ huic bono adversatur, eo ipso esse moraliter malam:

¹⁾ *De offic.* lib. 3, cap. 30. — ²⁾ *De fin. bon. et mal.* lib. 5, cap. 5.

verkeerd
en doel.

de norma
moralis immutabilis

„Nemo est, inquit Tullius, qui non hanc affectionem animi probet atque laudet, qua non modo utilitas nulla quæritur, sed *contra utilitatem* etiam conservatur fides.”¹⁾

Prob. speciatim pars I. Non in utilitate privata.

— 1^o *Ex eo quod contradictoria statuit.* Hac enim doctrina admissa, unusquisque est simul finis et medium aliorum. Atqui hoc implicat. Ergo.

2^o *Ex absurdis consecrariis.* Hac sententia destruitur omnis virtus societatis, imo virtus quæcumque. Si enim bonum morale coincidit cum privato temporali commodo, jam hæreditatis cupidine parentem occidere honestum, et e contra pro tuenda patria mortem oppetere turpe erit. Ergo.

Prob. speciatim pars II. Non in utilitate publica.

— 1^o *Ex absurdis consecrariis.* Hac enim sententia admissa, actus interni, vel etiam externi ad bonum ac malum sociale nihil conferentes, necnon actus hominis extra societatem viventis non essent moraliter boni vel mali. Atqui evidenter constat multos actus esse bonos et malos, nullo societatis respectu habito (N. 142). Ergo.

2^o *Ex eo quod doctrina hæc repugnat tum dignitati, tum inclinationi nature rationalis.* Et sane dum ex una parte per nefandam apostasiam genus humanum ac societas a Deo, omnium creaturarum primo principio ac ultimo fine, avellitur, atque sibimet supremus finis constituitur, ex altera parte per immanem tyrannidem singula individua spoliuntur dignitate personali et convertuntur in mera media societatis.²⁾ Præterea propria cu-

¹⁾ Op. cit. lib. 5, cap. 22. — ²⁾ « Très-logiquement Stuart-Mill définit le droit: un pouvoir, que la société est intéressée à accorder à l'individu. C'est

jusque *felicitas*, quam homo *naturaliter* appetit (N. 21, seqq.), vel prorsus negatur, vel ad summum ut pars utilitatis publicæ toleratur. Atqui doctrina, adeo opposita *dignitati ac tendentiæ* naturæ rationalis, etiam rationi repugnare debet. Ergo.

3^o Hac denique sententia admissa, „cujusque sanctissimi juramenti violatio, tum quælibet scelesta flagitiosaque actio sempiternæ legi repugnans, non solum haud est improbanda, verum etiam omnino licita, summisque laudibus efferenda, quando id pro patriæ amore agatur.” ¹⁾ Quod revera utilitatis publicæ ventilatores non pudet asserere.

4^o Nec quidquam juvat adversarios, si pro norma ponatur Utilitarismus *individualis simul et socialis*, nam in casu utriusque systematis incommoda coalescunt. — Practice iste Utilitarismus *egoisticus-sympathicus* in Utilitarismum *pure individualem* recidit.

152. Scholium. I. *Systema Progressus continui* iisdem argumentis refellitur ac Eudæmonismus socialis. ²⁾

II. *Pessimismus* ostendit quo ducat ratio humana a Deo apostata. — Non est quod immoremur istis delirantis mentis insaniis. ³⁾ — Obiter tamen notetur quanta contradictione laboret systema morale a *Schopenhauer* elaboratum: 1^o *existentiam* reputat *malam*, et simul reprobatur *suicidium*, necnon *voluptatum æstum*, quo saltem ad tempus sopitur conscientia existentiae adeoque et mise-

en deux mots le communisme le plus absolu. Tout est à la merci de l'État, et l'État, qui a tout donné, peut également tout ôter." Forbes, *La vie vaut-elle la peine de vivre*. Introd. XI. — ¹⁾ *Syllab.* LXIV. — ²⁾ Specialem hujus erroris impugnationem vide apud Cathrein, I, pag. 167. — ³⁾ Refutationem *Pessimismi* vide apud Stöckl, *natur. Theolog.* § 241.

riæ; 2^o *voluntatem vivendi* damnat ac in ipso agente per abnegationem *extirpare* conatur, et tamen in aliis eandem vivendi voluntatem *fovet* per commiserationem beneficam. — Quod si bona est commiseratio, quidni hominem licite ac laudabiliter *misereatur sui*?

Kant

PROPOSITIO II.

Rationalismus moralis admitti nequit.

Ratio humana maatschappelijke

153. **Prob. I.** Ex ordine veritatis ad intellectum creatum. Ratio humana veritatem non creat, sed præsупponit ac cognoscit. Atqui actuum humanorum conformitas vel difformitas cum regulis morum est quædam veritas. Ergo ratio humana moralitatem non efficit, sed jam in rerum natura præexistentem cognoscit.

Prob. II. Ex objectivitate discriminis moralis. Inter bonum et malum est discrimen vere *objectivum* (N. 147). Atqui dictamina rationis *autonomæ nullum objectivum* valorem habent; siquidem valor *objectivus* iudiciorum pendet a conformitate cum veritate *objectiva*; hæc autem importat actus humanos moraliter bonos et malos esse *independentem* a ratione humana. Hoc autem præcise negat systema Kantianum.

Prob. III. Ex eo quod systema Kantianum laborat errore multiplici. — Siquidem 1^o *Rationi increate*, tamquam normam omnino *supremam*, substituit *rationem creatam* (N. 158). — 2^o *Excludit officia moralia nobilissima*, np. officia *erga Deum*. — 3^o *Destruit omne discrimen* inter bonum *liberum* et *obligatorium*; si enim bonum morale consistit in eo, quod fit secundum *imperium categoricum ex reverentia legis*, omne bonum est

Handwritten notes in Dutch, including: "Dit is het fundamentele...", "Dit is de...", "Dit is de...".

Handwritten notes in Dutch, including: "in over...".

Handwritten notes in Dutch, including: "Dit is de...".

Handwritten notes in Dutch at the bottom of the page, including: "Dit is de...".

de præcepto. — 4^o Confundit actus *vere honestos*, etsi minori bonitate affectos, cum actibus *moraliter malis*. Etenim propriæ felicitatis intuitu legem servare *vere honestum* est (N. 395, seqq.). Atqui hoc *moraliter turpe* est secundum doctrinam Kantianam. — 5^o Hinc quoque *pugnat cum natura rationali*, cui a Creatore inditum est suam felicitatem *prosequi* (N. 22, seqq.). ¹⁾ — Ergo. ²⁾

SECTIO II.

Demonstratur vera norma objectiva formaliter discriminans bonum et malum.

154. Prænot. Hactenus præcipuos *errores* circa moralitatis normam impugnavimus; restat igitur ut exponamus ac demonstremus *sententiam veram*. Quamvis nec inter ipsos philosophos christianos sit idem *modus loquendi* in enuntianda moralitatis norma, quoad *rem ipsam* tamen inter se conveniunt. Ut jam recte respondeamus ad quæstionem in capite hujus § positam, distinguamus inter normam *proximam* et normam *remotam, ultimam*. Qua distinctione posita, respondemus: *Norma proxima est natura rationalis adæquate spectata; norma remota ac ultima est intellectus divinus contemplan- s sententiam divinam*. — Responsum duabus Propos. demonstrabimus.

¹⁾ Hanc essentialem in felicitatem tendentiam ipse Kant agnoscit: „Glücklich zu sein ist *nothwendig* das Verlangen jedes *vernünftigen*, aber endlichen Wesens, und also ein *unvermeidlicher* Bestimmungsgrund seines Begehungsvermögens.“ *Kritik der Prakt. Vernunft*. — ²⁾ Nullam *obligationem* oriri posse ex ratione autonoma, N. 361 et seqq. explicabimus.

PROPOSITIO I.

Discrimen intrinsecum inter bonum et malum proxime pendet ab actuum humanorum convenientia vel repugnantia cum natura rationali adæquate spectata.

155. Prænot. Dicitur 1^o cum natura rationali; nomine naturæ rationalis intelligimus naturam humanam ^{per se esse naturam} integram. Hæc autem natura est substantia animalis-rationalis, quæ principium est vitæ tum vegetativæ, tum sensitivæ, tum rationalis; attamen illa natura est physice una et ultimum suum complementum habet a rationalitate, per quam in sua specie constituitur; ex quo sequitur vires inferiores superioribus subordinari. — Dicitur 2^o cum natura rationali adæquate spectata; siquidem natura non debet considerari mere in se, prout ex variis partibus coalescit, sed etiam relative, i. e. quatenus habet essentiales relationes tum ad Deum, tum ad cæteras res creatas. De istis relationibus, quæ ordinem moralem naturalem constituunt, infra (N. 165) latius dicemus. — Dicitur 3^o ab actuum humanorum seu liberorum convenientia etc.; moralitas enim fundatur in libertate (N. 135); quare hic intelligimus naturam humanam, quatenus est libere activitatis principium.

156. Prob. I. Ex ipso conceptu boni. Bonum et malum, ut ex Ontolog. constat, consistit in alicujus rei convenientia et disconvenientia cum natura, quæ non solum est principium, sed etiam norma proxima omnis activitatis. Atqui natura humana est natura rationalis habens essentiales relationes ad Deum et alias res creatas (N. 165). Quemadmodum igitur physice bona est

causa et finis sui ipsius hinc sequitur hanc proxime ad se spectatam.

lib

lib

Grund der Abhängigkeit
des menschlichen Geistes
von der Natur
von der Natur

de mensura
lib
de mensura
lib
de mensura
lib

Ceterum est aliquid
quod est bonum
et malum
lib
de mensura
lib

vegetatio, quæ naturæ plantarum consonat, ita *moraliter* bona erit actio *libere* posita, quæ per se *conformis* est naturæ rationali ejusque *essentialibus* relationibus; vicissim moraliter mala erit actio huic naturæ istisque relationibus repugnans. Hinc amor Dei, castitas, dilectio proximi, justitia, sunt naturaliter seu intrinsece bona. E contra blasphemia, luxuria, odium proximi, furtum, sunt intrinsece mala.

*de universis in
maje rebus de un-
iversis*

Prob. II. *Ex notis, quibus insigniri debet norma moralis.* Omnes populi, omni ætate, multas actiones ut bonas, multas ut malas habuerunt (N. 142). Ad hanc autem constantem et universalem judiciorum moralium uniformitatem explicandam, necesse est existere normam a) *universalem*, b) *immutabilem*, c) *omnibus notam*, d) in se, tamquam in fonte, *omnia officia naturalia complectentem*. Atqui norma istiusmodi est natura rationalis adæquate spectata. Ergo.

Prob. Min. a) Est norma *universalis*, omnibus enim hominibus inest natura specie eadem, easdem facultates superiores et inferiores habens; omnes pariter homines iisdem essentialibus relationibus devinciuntur.

b) Est norma *immutabilis*; natura cum illis relationibus, seu ipse ordo naturalis, non pendet a diversis locorum, temporum, personarumve adjunctis, sed ubique et semper idem permanens nulli mutationi obnoxius est.

c) Est norma *omnibus nota*; unusquisque, etiam homo vulgaris, facillime suam naturam et locum, quem in hoc mundo relate ad Deum et alias creaturas occupat, potest cognoscere.

d) Est norma *omnia officia naturalia complectens*, ut vide supra (N. 142. *Prob. I*), ubi attulimus verba S. Thomæ.

*Haec natura rationalis principia
natura in se non affertur
humana natura.*

*non dicitur esse nullum
non nisi aliter non nullum est effectus*

157. Scholium. I. 1^o Sententia exposita non coincidit cum Utilitarismo, etiamsi intelligatur utilitas vera, quæ materialiter, ut supra (N. 150) explicavimus, cum honestate congruit. Etenim alia omnino est ratio boni utilis, alia vero ratio boni honesti. Siquidem bonum utile, qua tale, appetitur propter aliud, a quo totam suam bonitatem mutuatur; e contra bonum honestum, independenter a quacumque utilitate, propter se amabile est, utpote per se conveniens naturæ rationali, camque singulariter decens. — 2^o Sententia nostra nullam affinitatem habet cum Stoicismo ac Kantianismo. Etenim natura humana non consideratur absque ullo respectu ad Deum, omnium principio et fine, sed adequate, adeoque cum omnibus suis relationibus, quarum potiores sunt relationes ad Deum. Præterea in natura rationali non constituimus normam supremam, sed subordinatam (Prop. II).

II. Sententia ista utriusque oppositi erroris extremum devitat. Dum Utilitarismus enim intendit solam utilitatem, posthabita decentia rationali, dum Stoicismus cum Kantianismo e contra excludit quemcumque utilitatis respectum, sententia ista intendit decentiam rationalem, ita ut non excludat utilitatis respectum. Et re quidem vera, quod Deus conjunxit homo non separet. Atqui Auctor naturæ ordinem eudæmonologicum conjunxit cum ordine deontologico (Vide supra N. 33, N. 55 seqq., et infra N. 395, seqq.).¹⁾

¹⁾ Quoad doctrinam hactenus explicatam vide c. Gent. lib. 3, cap. 129 (supra N. 142); 1. 2. q. 54, a. 3; 1. 2. q. 71, a. 2; Suarez, De bonit. et mal. Disp. 2, s. 2, N. 10; Stöckl, § 20; Costa-Rossetti, cap. 2, sect. 1 et 4; Cathrein, 3 Buch, V Kap.

PROPOSITIO II.

Discrimen intrinsecum inter bonum et malum remote ac ultimatim pendet a Deo, non tamen a divina voluntate, sive libera, sive etiam necessaria, sed a divino intellectu contemplante divinam essentiam.

158. Prob. pars I. *Non a voluntate divina libera, ut N. 146 jam demonstravimus; sed neque a voluntate necessaria.* Etenim 1^o ista voluntas pro sua essentiali sanctitate multa præcipit et prohibet quia sunt bona necessaria, quia sunt mala; secus enim illa voluntas præcipiens vel prohibens non esset voluntas necessaria, sed libera. Ergo divina voluntas necessaria *supponit discrimen* inter bonum et malum, et ideo discrimen istud ab illa voluntate ultimatim pendere nequit. — Præterea 2^o lex divina necessaria *supponit* divinum intellectum, secundum quem divina voluntas sanctissime vult quidquid vult, et cui contrarium velle nequit.

Prob. pars II. *Pendet a divino intellectu contemplante divinam essentiam.* Moralitas intrinseca consistit in habitudine conformitatis vel difformitatis actuum humanorum cum natura rationali ac essentialibus relationibus in ipsa fundatis (N. 155, seqq.). Atqui rerum essentialium ac relationes pendunt a *divino intellectu contemplante essentiam divinam*, quæ est fons omnium possibilitium (Conf. *Ontol.* et *Theolog. natur.*). Nimirum intellectus divinus, necessitate sibi essentiali, infinite comprehendit essentiam divinam, non solum *prout est in se*, sed etiam *prout est imitabilis ad extra entibus ac perfectionibus analogis, eorumque mutuis relationibus.* Itaque

Z in intellectu divino sunt *ideæ archetypæ* omnium rerum, quæ existunt vel existere possunt, et *exemplaria moralia* actuum humanorum. ¹⁾ Cum igitur discrimen intrinsecum inter bonum et malum proxime pendeat ab actu humanorum conformitate et difformitate cum natura rationali ejusque essentialibus relationibus, cumque natura ista cum suis relationibus pendeat a divino intellectu contemplante essentialiam divinam, hinc illud discrimen remote pendet ab intellectu divino, et ultimum fundamentum habet in essentialia divina.

159. Coroll. Ex dictis patet quam merito Tullius dixerit: „Est autem virtus nihil aliud quam in se perfecta et ad summum perducta natura; est igitur *hominis cum Deo similitudo.*” ²⁾ Siquidem vita moraliter bona est *moralis imago Dei*, quia est libera expressio ordinis essentialis inter res creatas, adeoque et *libera expressio exemplarium moralium*, quæ sunt in intellectu divino contemplante essentialiam divinam.

160. Scholium. Discrimen morale (N. 155—159) explicavimus, *independenter a quacumque lege divina*, ex sola rerum natura. Docet tamen Angelicus: „Cum dicitur, quod *non omne peccatum ideo est malum quia prohibitum*, intelligitur de prohibitione facta per jus *positivum*. Si autem referatur ad jus *naturale*, quod continetur primo quidem in *lege æterna*, secundo vero in naturali judicatorio rationis humanæ, tunc *omne peccatum est malum quia prohibitum.*” ³⁾ Hinc multi

¹⁾ Conf. 1. q. 15; *De verit.* q. 3 (De Ideis), a. 2. Unde Boethius: „Tu cuncta superno ducis ab exemplo: pulchrum pulcherrimus Ipse mundum mente gerens, similique ab imagine formans.” *De consol.* III, Metr. IX. — ²⁾ *De leg.* lib. 1, cap. 8. — ³⁾ 1. 2. q. 71, a. 6, ad 4; vide q. 19, a. 4, q. 21, a. 1. Conf. S. Alphons. lib. 2, XXXV.

+ Isomacianus: „als mensche voort, en vrent mensche ad, als eset
 slyden met de natuur dan beet a aler kwaad voo de
 wet, god. Neemt mensche ad als eset in slyd met
 Gods. Getod dan beet a aler kwaad voo de wet Gods.

auctores, præsertim inter Thomistas, nullam veram moralitatem admittunt *independenter a lege æterna*.¹⁾ — Difficultatem optime solvit Suarez, inquit: „in actu humano esse aliquam bonitatem vel malitiam ex vi objecti præcise spectati, *ut est consonum vel dissonum rationi recte*, et secundum eam posse denominari et malum et peccatum et culpabilem secundum illos respectus, *seclusa habitudine ad propriam legem*. Præter hanc vero habet actus humanus *specialem rationem boni et mali in ordine ad Deum, addita divina lege prohibente vel præcipiente*; et secundum eam denominatur actus humanus *speciali modo peccatum vel culpa apud Deum, ratione transgressionis legis propriæ ipsius Dei*. . . . Hanc deformitatem non haberet actus humanus rationali naturæ contrarius, posita illa (absurda) hypothesi, quod Deus illum non prohiberet, quia tunc non haberet illum virtualemente contemptum Dei, quem continet transgressio legis respectu legislatoris.”²⁾

Itaque *lex æterna*, licet sit ultima ratio ac fundamentum cujusvis *obligationis*, non tamen est ultima ratio *internæ honestatis* vel *turpitudinis*, nisi per legem æternam intelligatur *intellectus* divinus *cognoscens* exemplaria moralia fundata in essentia divina. Vide 1. 2. q. 18, a. 5; *c. Gent.* lib. 3, cap. 129. (supra N. 142).


O SECTIO III.

De ordine morali naturali et supernaturali.

161. Prænot. Modo explicavimus discrimen in-

¹⁾ Vide Salmantic. *De principiis moralitatis*, cap. 2. — ²⁾ *De leg.* lib. 2, cap. 6, N. 17; Conf. *De bonitate et malit.* Disp. 1, s. 2, N. 10, Disp. 2, s. 2; Zeitschrift für Kathol. Theol. 1886. *Zur Philosophie der Sittlichkeit*, pag. 578.

Deus, God machtgeen zedelyk gelyk nu aanynd
perplichtingdelyk gelyk. indatoh niet nu
geatlyk onder



trinsecum inter bonum et malum *proxime* pendere ab actu humanorum convenientia vel repugnantia cum *natura rationali adæquate spectata* seu, quod perinde est, cum *ordine morali naturali*, qui est pars *nobilior illius ordinis universalis*, quem in omnibus rebus creatis conspiciamus. Quæ ut melius intelligantur, utile est quædam dicere de ordine *naturali* et *supernaturali*, necnon de *habitudine*, quæ inter utrumque existit.

162. Ordo physicus et ordo moralis. Nominem *ordinis* significatur *apta dispositio plurium ad assecutionem finis*. Jam vero duplex, ad scopum nostrum quod attinet, ordo distinguitur, unus *physicus*, alter *moralis*.

I. *Ordo physicus* est ille, qui inter res mundanas existit et etiam creaturas *irracionales* complectitur. — Siquidem Creator, mundum ordinans in *finem* sua sapientia dignum, toti naturæ impressit *principia* propriorum actuum, quibus creaturæ *irracionales physice* determinantur ac moventur tum *in finem sibi proprium*, tum *in finem universalem totius mundi*. Uniformis ille ac constans *modus agendi* secundum finem, a Creatore præfixum, dicitur *ordo physicus*; ipsa vero *principia*, quibus vires mundanæ ad proprios actus determinantur, vocantur *leges physice*. Vide *Cosmolog.*

II. *Ordo moralis* refertur ad solas creaturas *racionales*, et respicit actus humanos seu *liberos* in ordine ad *finem ultimum*. Iste ordo non regitur per *leges physicas*, sed per *leges morales*, quæ libertatem *physicam* non destrunt, sed intra debitos terminos continent, „*ut voluntates a recta ratione ne discrepent.*” ¹⁾

¹⁾ Encycl. *Libertas*, § *Quoniam igitur*.

163. Ordo moralis naturalis et supernaturalis. Quoniam „ratio ordinis, quam sapiens rebus a se factis imponit, a *fine* sumitur,” ¹⁾ hinc pro duplici fine naturæ rationalis, *naturali* np. et *supernaturali* (N. 41, seqq.), ordo moralis pariter duplex est, scil. *naturalis* et *supernaturalis*.

164. I. Ordo moralis naturalis. Iste ordo, qui essentialiter connectitur cum *creatione* naturæ rationalis, in ea natura fundatur, ab ea exigitur. Siquidem iis omnibus constituitur, quæ, etsi non debita sint *merito personæ*, tamen debentur *naturæ*, quia secus natura, *qua talis*, destitueretur perfectione sibi conveniente ac necessaria. Proinde ad ordinem naturalem in primis pertinet *finis ultimus* naturæ proportionatus; pertinent *facultates*, quæ cum natura essentialiter conjunguntur; *habitus*, qui viribus naturalibus possunt acquiri; *concursus divinus*, sine quo nulla actio possibilis est; *co-existentia* cum aliis ac *societas*, quibus indigent vires naturales ad congruentem explicationem, aliaque id genus. ²⁾ Ad ordine mnaturalem demum pertinent *relationes* multiplices, quæ in natura fundantur. Porro hasce relationes pro rei momento breviter exponemus.

165. Relationes hominis in ordine naturali sunt triplicis generis:

A. *Relationes ad Deum.* Homo naturaliter se habet ad Deum, sicut creatura ad Creatorem, sicut servus ad Dominum. — Deus causa prima est etiam finis ultimus, tum quatenus propter gloriam Dei externam homo conditus est, tum quatenus solus Deus est beatitudinis humanæ objectum (N. 14 et 32). Huic relationi conso-

¹⁾ l. q. 25, a 5. — ²⁾ Suarez, *Proleg. ad Tract. de Gratia*, III, cap. 2, N. 4.

nat, ut homo in hac vita mortali Deum agnoscat, Ipsi serviat, Ipsum amet ac glorificet, in Ipsum tendat, Ipsumque in beata æternitate perfecta cognitione ac amore glorificet et glorificando possideat.

B. *Relationes inter diversas facultates et partes ipsius naturæ humanæ.* Cum natura humana sit physice una, et opus *sapientissimi Artificis*, hinc fieri nequit, quin omnes facultates humanæ sint ad invicem *ordinate*, et quidem ita, ut inferiores *subordinate* superioribus. Istæ relationes exigunt, ut homo nihil facultatibus inferioribus indulgeat quod repugnet rationi, et tamen simul parti vegetativæ et sensitivæ *moderate* consulat. Hinc intrinsece bona est temperantia, intrinsece mala luxuria.

C. *Relationes ad alias creaturas, tum irrationales, tum rationales:*

1^o Ad creaturas *irrationales*, quarum homo est *dominus*. Creaturæ irrationales a Creatore ordinate sunt ad hominem, tamquam ad finem *proximum*, adeoque sunt *media* utilitati humanæ subordinata (N. 18—20). Hæc relatio importat, ut homo in nulla creatura suum *finem* reponat, sed e contra creaturis utatur tamquam *mediis*, ipsi a Creatore in finem *honestum* concessis. Hinc intrinsece mala est avaritia.

2^o Ad alias creaturas *rationales*, quarum est *æqualis* ac *socius*. Istæ autem relationes iterum sunt *individuales* vel *sociales*: a) *Relationes individuales*, quæ homines afficiunt, quatenus eandem specificè habent naturam. Hisce relationibus consonat dilectio, repugnat odium. — b) *Relationes sociales*. Homo naturaliter ordinatur ad societatem *domesticam, civilem et religiosam*. Societate au-

tem supposita, adsunt relationes inter maritum et uxorem, inter parentes et filios, inter auctoritatem publicam et subditos etc. Hisce relationibus conformis est amor ac fidelitas conjugalis, repugnat rebellio etc.

166. Actiones hisce relationibus convenientes merito dicuntur intrinsece bonæ. Et sane homo suas actiones juxta istas relationes componens, eo ipso operatur conformiter ad *naturam rationalem adæquate spectatam* (N. 155), adeoque ponit actionem, cujus bonitas resultat ex *ipsa rerum natura*. — Vicissim actiones hisce relationibus repugnantes sunt *intrinsece malæ*, quia earum malitia non solum profluit ex aliqua *lege stricte dicta*, sed ex *ipsa rerum natura* (N. 156 et N. 160).

167. II. Ordo moralis supernaturalis. Iste ordo non fundatur in natura vel creatione, sed, creatione etiam supposita, in *libero Dei beneplacito*. Omnem totius naturæ creatæ, imo etiam creabilis, exigentiam et capacitatem excedens, iste ordo constituitur iis omnibus, quæ *nec merito personæ, nec conditioni naturæ* debita sunt, sed naturam *elevant* ad ordinem *superiorem*. ¹⁾ Iste ordo supernaturalis constituitur *sine*, qui excedit finem *naturalem* creaturæ rationalis, nimirum beatitudine supernaturali, *visione intuitiva Essentiæ divinæ* (N. 45), necnon *facultatibus* et *mediis* huic fini supernaturali proportionatis, quæ toto ordine excedunt facultates naturales cujuslibet creaturæ. Ad hunc ordinem pertinent *relationes*, quæ incomparabiliter præcellunt relationibus *naturalibus*.

¹⁾ Bona illa, quæ naturæ quidem *indebita* sunt, ipsam tamen non ultra *propria excellentiæ genus* perficiunt, vocantur bona *præternaturalia*. Tale donum est immortalitas corporis.

Etenim *per elevationem* ad ordinem supernaturalem homo, qui *naturaliter* est *servus Dei*, fit *filius adoptivus, cohæres Christi*. Imo ipsum *corpus* fit *templum Spiritus Sⁱ*, et post resurrectionem erit *particeps gloriæ cælestis*. Hinc quoque omnes homines sunt *fratres in Christo et cohæredes gloriæ*. ¹⁾

Protoparentes ad illum ordinem *fuisse elevatos*, illum ordinem esse prorsus *supernaturalem*, illum ordinem, peccato Adæ *perturbatum*, denuo per Christum *fuisse restauratum* demonstrant *Theologi*. ²⁾

168. Habitudo inter ordinem naturalem et supernaturalem. Ordo supernaturalis toto cælo ordinem naturalem *transcendit*, attamen ipsum nedum destruat, e contra *supponit ac perficit*. Remanet ordo naturalis, non quidem *mere talis*, sed *auctus bonis gratuitis*. — *Adoptio* seu filiatio divina *supponit creaturam rationalem*, quemadmodum *fides* *supponit rationem*, et *gratia* *supponit naturam*. ³⁾

Quamvis ordo supernaturalis sit ordo *salutis* (homo quippe *revera* destinatus est ad ordinem *gloriæ vitæ futuræ*, cui in vita præsentis correspondet ordo *gratiæ*), ordo naturalis tamen etiam ad salutem necessarius est, quia ipse ordini supernaturali *substernitur*; „ad beatitudinem consequendam duo requiruntur, *natura* et *gra-*

¹⁾ Rom. VIII, 15, Gal. IV, 5, Ephes. I, 5, I Thess. V, 5, Rom. VIII, 17; I Cor. VI, 15, coll. III. 17; I Joan. III, 1-2, I Cor. XV, 42 seqq., I Petri I, 22. — ²⁾ Hic obiter notetur a nonnullis nomina *supernaturale* et *suprasensibile* perperam confundi. — Subdole a Rationalistis hæc confusio obtruditur; apud nonnullos scriptores catholicos quandoque occurrit ex ignorantia rerum theologicarum. — ³⁾ 3. q. 23, a. 3; 1. q. 2, a. 2, ad 3.

PROPOSITIO.

= homo Subjectivo

Facultas, qua bonum et malum discernitur, non est aliquis sensus, sive physicus sive moralis, sed intellectus practicus.

est

171. Prob. pars I. *Non est sensus physicus.* Moralitas consistit in relatione conformitatis vel difformitatis actuum humanorum cum moralitatis regula. Atqui sensus physicus rerum *relationes* cognoscere nequit; etenim sensus physicus, utpote *facultas organica*, non percipit nisi *corporea*. Ergo.

Prob. pars II. *Non est sensus spiritualis.* Judicia moralia sensus spiritualis non per comparisonem terminorum, sed per cæcum instinctum conficiuntur. ~~Ab~~ qui istiusmodi judicia instinctiva admitti nequeunt. Etenim proprium est naturæ rationali de rebus investigare ita, ut per comparisonem terminorum cognoscat ipsorum convenientiam et repugnantiam, atque demum, hac convenientia vel repugnantia perspecta, de ipsis rebus judicet. Itaque non vi alicujus *cæci instinctus*, sed vi *motivi evidenter apparentis* judicia mentis proferuntur. Conf. latius *Logicam* et *Psychologiam*.

Prob. pars III. *Est intellectus practicus.* Moralitas consistit in relatione conformitatis vel difformitatis; hæc autem relatio est quædam *veritas*. Atqui verum est objectum intellectus. Ergo facultas, qua bonum et malum morale discernimus, est *intellectus* vel *ratio*, prout illud verum immediate, vel nonnisi mediate usu ratiocinationis innotescit. Quoniam vero „intellectus speculativus est, qui, quod apprehendit, non ordinat ad opus, sed ad solam veritatis considerationem; practicus vero intel-

lectus dicitur, qui hoc, quod apprehendit, ordinat ad opus;" ¹⁾ hinc consequitur cognitionem veritatum moralium pertinere ad intellectum *practicum*.

172. Scholium. Ne de nomine laboremus, non refragamur iis, qui nomen *sensus moralis* adhibent, dummodo hoc nomine ne intelligatur aliqua facultas ab intellectu *distincta*. Et sane, usu loquendi vocabulum *sensus* etiam in ordine ad res *mere intelligibiles* adhiberi constat. „Unum hoc animal (homo), inquit Tullius, *sentit* quid sit ordo, quid sit quod deceat." ²⁾

173. Nota pro solvendis difficultatibus.

^{1°} *Uniformitas* iudiciorum moralium, quæ circa multas actiones apud omnes homines apparet, nihil aliud importat, nisi *quod omnes habent easdem facultates rationales*. „Omnia, quæ sunt unius speciei, communicant in actione consequente naturam speciei... Cognoscere autem prima intelligibilia est actio consequens speciem humanam." ³⁾ Hinc consequitur homines unanimiter amplecti veritates, tum speculativas, tum practicas, quæ usum rationis necessario consequuntur; istiusmodi vero sunt principia moralia primaria, et ea, quæ ex iis facili discursu deducuntur.

^{2°} Hinc pariter liquet *rudes et pueros* facillime rectum iudicium proferre circa ea, quæ magis obvia sunt. — Præterea ratio habenda est *educationis religiosæ*.

^{3°} Neque ullum *Sentimentalistis* subsidium est *ex affectionibus partis appetitivæ*, quæ frequenter comitantur iudicia moralia. Istiusmodi affectiones minime postulant aliquem sensum moralem ab intellectu distinctum. Ete-

¹⁾ l. q. 79, a. 11. — ²⁾ *De offic.* lib. 1, cap. 4. — ³⁾ l. q. 79, a. 5, ad 3.

nim intellectus practicus vehementer movere potest voluntatem, ipsi exhibendo objecta, quæ magnopere spectant bonum hominis. Atqui talia objecta sunt *res morales*. At vero affectus voluntatis, si vehementiores sint, mediante phantasia, redundant in appetitum *sensitivum*; imo, mediantibus iterum affectionibus sensitivis, redundare possunt in ipsam partem *vegetativam* totumque organismum. ¹⁾

§ V. O

Quænam sit Moralitatis norma obligans.

174. Prænot. Duplex, ut N. 155—160 demonstravimus, est norma *objectiva*, quæ bonum et malum *discriminat*; una est *immediata* et *subordinata*, scil. natura rationalis adæquate spectata seu ordo naturalis; altera est *mediata* et *suprema*, scil. intellectus divinus contemplans essentiam divinam. *Subjectivam* vero normam, qua bonum et malum discernitur, esse intellectum practicum, modo (N. 171) demonstravimus. Quæstio superest de norma *obligante*.

4. 175. Norma obligans *objectiva* est *lex*. Ut norma moralitatis completa sit, necesse est, ut bonum necessarium *præcipiat*, et malum *prohibeat*, seu *strictam obligationem* creaturæ rationali imponat. — Hujus autem normæ obligantis, quæ *lex* dicitur, causa efficiens est divina voluntas, quæ illud omne, quod secundum dictamen divinæ sapientiæ ad conservationem ordinis naturalis necessarium est, necessario præcipit; atque illud omne, quod huic ordini repugnat, necessario prohibet.

¹⁾ Conf. Studiën etc. XIII jaargang, D. II, *Onze natuurlijke kennis Gods*, pag. 9.

X
 De Moralitatis norma
 1. de Norma Discriminans
 2. de Norma Subordinata
 3. de Norma Mediantibus
 4. de Norma Suprema
 5. de Norma Subjectiva
 6. de Norma Objectiva
 7. de Norma Obligante
 8. de Norma Completa
 9. de Norma Imperfecta
 10. de Norma Incompleta
 11. de Norma Incongrua
 12. de Norma Incongrua
 13. de Norma Incongrua
 14. de Norma Incongrua
 15. de Norma Incongrua
 16. de Norma Incongrua
 17. de Norma Incongrua
 18. de Norma Incongrua
 19. de Norma Incongrua
 20. de Norma Incongrua
 21. de Norma Incongrua
 22. de Norma Incongrua
 23. de Norma Incongrua
 24. de Norma Incongrua
 25. de Norma Incongrua
 26. de Norma Incongrua
 27. de Norma Incongrua
 28. de Norma Incongrua
 29. de Norma Incongrua
 30. de Norma Incongrua
 31. de Norma Incongrua
 32. de Norma Incongrua
 33. de Norma Incongrua
 34. de Norma Incongrua
 35. de Norma Incongrua
 36. de Norma Incongrua
 37. de Norma Incongrua
 38. de Norma Incongrua
 39. de Norma Incongrua
 40. de Norma Incongrua
 41. de Norma Incongrua
 42. de Norma Incongrua
 43. de Norma Incongrua
 44. de Norma Incongrua
 45. de Norma Incongrua
 46. de Norma Incongrua
 47. de Norma Incongrua
 48. de Norma Incongrua
 49. de Norma Incongrua
 50. de Norma Incongrua
 51. de Norma Incongrua
 52. de Norma Incongrua
 53. de Norma Incongrua
 54. de Norma Incongrua
 55. de Norma Incongrua
 56. de Norma Incongrua
 57. de Norma Incongrua
 58. de Norma Incongrua
 59. de Norma Incongrua
 60. de Norma Incongrua
 61. de Norma Incongrua
 62. de Norma Incongrua
 63. de Norma Incongrua
 64. de Norma Incongrua
 65. de Norma Incongrua
 66. de Norma Incongrua
 67. de Norma Incongrua
 68. de Norma Incongrua
 69. de Norma Incongrua
 70. de Norma Incongrua
 71. de Norma Incongrua
 72. de Norma Incongrua
 73. de Norma Incongrua
 74. de Norma Incongrua
 75. de Norma Incongrua
 76. de Norma Incongrua
 77. de Norma Incongrua
 78. de Norma Incongrua
 79. de Norma Incongrua
 80. de Norma Incongrua
 81. de Norma Incongrua
 82. de Norma Incongrua
 83. de Norma Incongrua
 84. de Norma Incongrua
 85. de Norma Incongrua
 86. de Norma Incongrua
 87. de Norma Incongrua
 88. de Norma Incongrua
 89. de Norma Incongrua
 90. de Norma Incongrua
 91. de Norma Incongrua
 92. de Norma Incongrua
 93. de Norma Incongrua
 94. de Norma Incongrua
 95. de Norma Incongrua
 96. de Norma Incongrua
 97. de Norma Incongrua
 98. de Norma Incongrua
 99. de Norma Incongrua
 100. de Norma Incongrua

Hinc oritur lex stricte dicta, cujus contentum dictatur a divino intellectu, cujus vero forma, seu vis obligatoria, derivatur a divina voluntate.

Prima igitur actuum humanorum completa norma est lex aeterna, seu „ipsa ratio vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans.” ¹⁾ Attamen homo Deum non immediate videt, ideoque ipsam legem aeternam immediate cognoscere et applicare nequit, sed mediate tantum, mediante np. lege naturali, quæ est „participatio legis aeternæ in rationali creatura.” ²⁾

Lex igitur, tum increata seu aeterna, tum creata seu naturalis, est actuum humanorum norma completa obiectiva, sed remota dumtaxat.

Norma obligans subjectiva est ratio lege divina informata. Ut enim homo suos actus cum lege conferre, eorumque habitudinem ad legem cognoscere possit, ipsam legem cognoscat necesse est. Hinc habetur altera completa moralitatis norma, eaque subjectiva et proxima, scil. recta ratio, i. e. ratio non autonoma seu Kantiana, sed ratio lege divina informata. — Dictamen practicum hujus rationis dicitur conscientia moralis.

De norma obligante tum obiectiva tum subjectiva infra Cap. V sermo erit.

§ VI.

Quænam sit Moralitatis partitio.

176. Præcipuæ moralitatis species sunt :

A. Bonum et malum. — Ex diversa habitudine, i. e.

¹⁾ S. August. c. *Faustum*, lib. 22, cap. 27. — ²⁾ I. 2. q. 91, a. 2.

ex conformitate vel difformitate cum regulis morum actus humani sunt boni vel mali.

B. Bonum rursus est obligatorium vel liberum. — Ad malum nulla est libertas, ad bonum non semper habetur obligatio. — a Quædam tamen bona ex natura sua ita cum ordine naturali connectuntur, ut sine ipsis ordo conservari nequeat, et ideo a sapientissimo ac sanctissimo Auctore naturæ præcipiuntur necessario. Tale bonum est amor Dei, castitas etc. — b Alia vero bona ordini naturali conformia quidem sunt, sed ad ipsius conservationem non necessaria; et ideo respectum dicunt ad regulam mere approbantem, vel etiam consulentem, non tamen ad regulam præcipientem. Tale bonum est cœlibatus, paupertas evangelica etc. — c Attamen bonum liberum aliquando præcipitur lege positiva, et hac ratione convertitur in bonum obligatorium.

C. Moralitas amaterialis seu objectiva et formalis seu subjectiva. — Prior consistit in conformitate vel difformitate, quam cum regulis morum habet actus secundum se seu objective, i. e. independenter ab eo, utrum ab agente ponatur libere, an necessario. Eleemosyna est materialiter bona, sive datur ab amente, sive datur ab homine sanæ mentis.

— Altera consistit in conformitate vel difformitate, quam cum morum regulis habet libera voluntas agentis. — Quoniam vero voluntas libere morum regulas observare vel violare nequit, nisi illæ regulæ agenti innotescant et per conscientiam singulis actibus applicentur, hinc moralitas formalis tandem consistit in conformitate vel difformitate actus humani cum recta ratione et conscientia (N. 175 et 423). Eleemosyna data ab homine sanæ mentis tum

quædam sunt boni
quædam sunt mali
quædam sunt
in se et ab aliis
quædam sunt

Moralitas objectiva
a Bonum et malum
b Bonum obligatorium
c Bonum liberum
d Moralitas objectiva
e Moralitas subjectiva

c

Formalis
subjectiva
materialiter
libere
necessario

De affectionibus quibus
est ab eo et per se
in actu et in ordine
de deo et de re
is objective quod non
moralis, in actu et per
subjectiva quod est malum
datur ab amente, sive
bona et mala
est ab eo et per se
in actu et in ordine
de deo et de re
is objective quod non
moralis, in actu et per
subjectiva quod est malum
datur ab amente, sive
bona et mala

formaliter, tum *materialiter* bona est.

I Ex dictis patet moralitatem *formalem* prius esse in actu *elicito*, quam in *imperato*; quandoquidem ab *elicito* ad *imperatum* derivatur. E contra moralitas *materialis* prius est in actu *imperato*, quam in actu *elicito*, qui circa eum versatur; siquidem iste ab illo, tamquam a suo objecto, moralitatem *materialem* accipit; ideo enim *voluntas* dandi eleemosynam *objective* bona est, quia *eleemosynæ largitio* regulis moralibus consona est.

II Ex dictis similiter patet in actu *utramque moralitatem posse separari*. Etenim ab agente ignorari vel erronee aestimari potest habitudo, quam actus *secundum se* habet ad regulas morales. Inde fit, ut aliquis actus possit esse simul *materialiter* bonus et *formaliter* malus, et contra. Si quis ponat actum lege præceptum, quem putat lege prohibitum, actus est *materialiter* bonus, *formaliter* malus.

D. Moralitas *intrinseca* et *extrinseca*. — Moralitas *intrinseca* profluit *ex ipsa rerum natura* seu ex naturalis ordinis exigentia, adeoque antecedit quamcumque legem *strictè dictam* (N. 160). Ista moralitas est objectum *directum* legis *naturalis* (N. 353), quæ in hypothesis, quod existant creaturæ rationales, *necessaria* ac *immutabilis* est (N. 367). Amor Dei est *intrinsece* bonus, odium Dei *intrinsece* malum.

Moralitas *extrinseca* non profluit ex rerum natura, sed *directè* oritur ex lege *mere positiva* (N. 400, seqq.), quæ fertur a *libera* Dei hominumve voluntate. Hinc ista moralitas mutationi obnoxia est. Esus carniū diebus vetitis est solum *extrinsece* malus ex positiva lege ecclesiastica; qua lege cessante, evanescit quoque illa *extrinseca* malitia.

Actio (omissio) est mala vel naturaliter vel. lege positiva
 Quælibet malitia in physica ordine
 bonæ, bonæ omnia, finaliter
 Quælibet malitia non physice
 et bonæ ordine archetypice
 determinativa legis superioris.
 Acta commotio.
 Invenire deo per se et consequens
 absolute. Quælibet
 elementa ipsius actionis per se (bonæ omnia
 in physico ordine malitiae præmita etc

ARTICULUS II.

De Moralitate in specie.

149-243.
 In alio modo, habet unum quod
 de actu ad in moralitate, de
 mensurabile, habet unum quod
 in actu, habet unum quod
 in actu, habet unum quod
 in actu, habet unum quod

X 177. Prænot. In definienda moralitatis essentia, ^{Artic.} præc. hanc actuum humanorum proprietatem non nisi *in genere* consideravimus. Quodsi moralitas *in specie* consideretur, ipsa ^{absoluta} dijudicanda est ex iis omnibus, quæ vel ingrediuntur actuum humanorum ^{essentiam} substantiam, vel ^{esse} in ipsos ^{esse} influunt, vel ipsos demum quocumque modo ^{omnibus} attingunt. Itaque hoc *Artic.* actus humanos secundum omnia illa elementa, quæ totidem moralitatis fontes sunt, spectabimus; dein actum tum bonum, tum malum seorsum explicabimus. Hinc materia hujus Articuli absolvetur questione duplici: 1^o *quinam sint moralitatis fontes*; 2^o *quænam requirantur, ut actus humani boni vel mali sint.*

§ I.

Quidam sint Moralitatis fontes.

178. Prænot. Omnis actus humanus tendit in aliquod *objectum*, ex quo habetur actus *essentia*; omnis actus humanus ponitur propter aliquem *finem* et cum aliquibus *circumstantiis*, quæ objecto ac *essentiæ* actus adveniunt, adeoque actus humani *accidentia* sunt. — Porro secundum triplex illud momentum actus humanus regulis moralibus convenire vel repugnare potest, atque hoc sensu *objectum, finis et circumstantiæ* dicuntur *elementa* ac *fontes* moralitatis. De singulis breviter dicemus.

proprietas
 doct.
 magis
 didicimus
 in actu
 circumstantiis
 et essentia
 hujus actus
 moralitatis
 in actu
 de actu

SECTIO I.

Objectum.

179. **Notio objecti.** I. Nomine objecti intelligitur id, quod *primo ac per se* ab actu attingitur, seu ipsius actus terminus proximus, *finis intrinsecus* (N. 6, A); siquidem actus humanus est quidam *motus* a libera voluntate procedens, *qui naturaliter in aliquid tendit*, quo terminatur seu finitur.

II. Objectum potest esse vel aliqua *res non operabilis*; tale objectum est v. g. *Deus* respectu amoris, *inimicus* respectu odii; vel potest esse *aliquid operabile* vel *tollibile*, seu quod potentia respicit quatenus per actum suum poni aut tolli potest. Sic *actus* voluntati externus est objectum actus elicitum, quatenus per hunc imperatur vel odio habetur; *miseria* pauperis est objectum *elemosynæ*, quatenus per hanc tollitur. ¹⁾

III. Objectum ne consideretur *physice*, sed *moraliter*, i. e. cum respectu ad regulas morales: utrum n. p. conveniat, an repugnet regulis moralibus talem rem esse terminum talis actus. Ita v. g. *Deus* est objectum bonum amoris, malum odii; *vita innocentis* est objectum bonum defensionis, malum occisionis; *miseria pauperis* est objectum bonum commiserationis, malum complacentiæ. — Inde fit ut aliqua res, licet una et eadem sit sub respectu *physico*, possit esse èt bona, èt mala, quatenus est *objectum morale actus humani*; ita *res aliena* est *objectum moraliter malum*, quæ domino rationabiliter invito *surripiatur*; eadem vero *res aliena* est *objectum moraliter bonum*, quæ a fure legitimo domino *restituatur*. ²⁾

¹⁾ De Coninck, *De actib. supern.* Disp. 3, N. 33. — ²⁾ l. 2. q. 18, a. 2, ad 1; De Coninck, l. c. N. 34-36.

PROPOSITIO.

Actus humanus primam et essentialē bonitatem vel malitiam habet ab objecto.

180. Prob. Sicut in *naturalibus* prima et essentialis bonitas desumitur a *forma*, quæ dat speciem, et vicissim primum malum ex privatione illius formæ, ita quoque in *moralibus*. Atqui forma, quæ dat speciem actui humano, est ipsum objectum. Etenim actus humanus est quidam *motus*, quo libera voluntas fertur in objectum sicut in *terminum*; omnis autem motus a suo termino speciem accipit. Ergo. ¹⁾

181. Coroll. Hæc igitur moralitas ex objecto inheret actui humano *ante quamcumque aliam*, et ab actu separari nequit, quia ex ipsius natura profluit. Ita furto, ebrietatis gratia commissum, primario malum concipitur, quatenus est ablatio rei alienæ, domino rationabiliter invito; hæc malitia *injustitiæ* a furto inseparabilis est, etsi abesset malitia *intemperantiæ*, quæ eidem furto ex malo fine accidit.

SECTIO II.

Circumstantiæ.

182. Notio circumstantiarum. „Nomen circumstantiæ ab his, quæ in loco sunt, derivatur ad actus humanos. Dicitur autem in localibus aliquid circumstare, quod est quidem *extrinsecum* a re, tamen *attingit* ipsam, vel appropinquat ei secundum locum.” ²⁾ Hinc circumstantia est *accidens actus moralis, ei extrinsecus*

¹⁾ 1. 2. q. 18, a. 2. — ²⁾ 1. 2. q. 7, a. 1.

adveniens, eumque aliquo modo attingens secundum esse morale.

183. Pro circumstantia requiruntur tria:

1^o actus jam habeat moralitatem independentem a circumstantia; accidens enim præsupponit substantiam; hinc respectu furti non est circumstantia, quod res sit *aliena*; siquidem hoc pertinet ad furti *substantiam* et tamquam *objectum* primam, essentialem, specificam furto moralitatem tribuit. 2^o Circumstantia ne destruat aut essentialiter mutet primum esse morale ex objecto; secus enim non amplius esset *accidens*, sed fieret *objectum*; hinc respectu eleemosynæ non est circumstantia, quod unice detur ex vana gloria. 3^o Oportet, ut aliquid bonitatis vel malitiæ accidentaliter actui addat vel auferat; secus enim actum secundum *esse morale* non attingeret; hinc respectu furti non est circumstantia *moralis*, quod committatur manu dextera vel sinistra.

184. Divisiones circumstantiarum.

A. I In mutantes seu multiplicantes speciem objectivam et non mutantes.

Mutantes speciem sunt illæ, quæ actui addunt novam bonitatem vel malitiam *specie distinctam* ab ea, quam actus jam habet ab *objecto*. Hoc autem contingit, quando circumstantia *secundum se*, et independentem a specie morali objecti, importat *specialem* et *distinctum* ordinem conformitatis vel difformitatis ad regulas morum. Ita v. g. specialis difformitas additur furto, quando res ablata est *sacra*. Tales circumstantiæ dicuntur *transire in objectum*, quia revera sunt *objectum relate ad speciem superadditam*.

II Non mutantes speciem sunt illæ, quæ non addunt no-

vam speciem, sed solummodo bonitatem vel malitiam, quam actus ex objecto habet, augment vel minuunt. Talis circumstantia est v. g. major vel minor valor rei ablatae.

B. Augentes et minuentes in eadem specie subdividuntur:

In augentes et minuentes notabiliter vel non notabiliter.

Notabiliter augentes vel minuentes dicuntur, quæ, ubi actus versatur circa materiam, quæ consistit in numero, pondere vel mensura, tantum addunt vel auferunt, ut id seorsim sumptum sufficeret ad peccatum grave; aut quæ, in aliis materiis, tantum addunt vel auferunt, ut id reputetur notabile, *spectato ordinario modo agendi*. Ita v. g. si fur surripiat horologium deauratum, quod putat esse aureum, illa falsa existimatio notabiliter aggravat malitiam illius furti. Similiter notabiliter aggravatur peccatum odii, si quis per annum integrum in illo odio perseveret.

Quodsi aliqua circumstantia actum venialiter malum ita aggravet, ut exinde fiat mortaliter malus, et vice versa, tunc dicitur mutare speciem, non quidem *objectivam*, sed *theologicam* seu *demeritoriam* (Conf. *S. Theolog.*). Exemplum habes in eo, qui furatur rem levem, sed cum prævisione gravis damni; item in eo, qui ponit actum in se graviter malum, sed ex advertentia imperfecta.

2 Non notabiliter augentes vel minuentes dicuntur, si id, quod addunt vel demunt, seorsim sumptum peccati venialis malitiam non excedit.

In specie theologicæ vel alicui.

185. Numerus circumstantiarum. Post *Tullium* septem circumstantiæ recenseri solent:

„*Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo,*

quando.” Hujus enumerationis rationem dilucide exponit Angelicus: „Circumstantia dicitur quasi extra substantiam actus existens, ita tamen quod aliquo modo attingit ipsum. Contingit autem hoc fieri tripliciter. Uno modo, in quantum attingit ipsum *actum*; alio modo, in quantum attingit *causam* actus; tertio modo, in quantum attingit *effectum*.

Ipsam autem actum attingit vel per modum mensuræ, sicut tempus (*quando*) et locus (*ubi*); vel per modum qualitatis actus (*quomodo*). Ex parte autem effectus, ut cum consideratur *quid* aliquis fecerit. Ex parte vero causæ actus, quantum ad causam finalem accipitur *propter quid* (*cur*); ex parte autem causæ materialis sive objecti accipitur *circa quid* (*quid*); ex parte vero causæ agentis principalis accipitur *quis* egerit; ex parte vero causæ agentis instrumentalis accipitur *quibus auxiliis.*” ¹⁾ Circumstantia *circa quid*, quam Aristoteles ponit distinctam, a Tullio merito sub circumstantia *quid* comprehenditur.

186. Brevis explicatio. *Quis* importat qualitatem accidentalem *personæ operantis*, v. g. quod sit sacerdos, conjugatus etc.

Quid importat quantitatem vel qualitatem accidentalem *objecti*, v. g. quod res furata sit sacra etc.

Ubi importat qualitatem accidentalem *loci*, v. g. quod sit publicus, sacer etc. *Ubi* non est circumstantia, sed ad substantiam actus pertinens, quando actus *in se licitus* prohibetur *ratione loci*, v. g. si quis ecclesia uteretur ad jumentorum stabulum.

Quibus auxiliis importat qualitatem accidentalem *me-*

¹⁾ l. 2. q. 7, a. 3.

diorum ; utrum v. g. homicidium perpetratum fuerit per tormentum crudelissimum.

Cur denotat finem, non *operis*, qui coincidit cum *objecto*, sed finem *operantis*, quod v. g. furtum fuerit commissum ad se inebriandum. Attamen *specialis intentio* finis operis potest pertinere ad circumstantiam *quomodo*, ratione *intensionis* vel voluntarii *expliciti*.

Quomodo importat modum accidentalem *ipsius actus*, v. g. quod sit intensus vel remissus, ex vi vel dolo, ex malitia vel ignorantia, ex voluntario directo vel indirecto etc.

Quando importat qualitatem vel quantitatem accidentalem *temporis*, utrum fuerit sacrum, vel diuturnum. ¹⁾

PROPOSITIO.

Actus humanus secundariam et accidentalem bonitatem vel malitiam habet ex circumstantiis.

187. **Prob.** Sicut in *naturalibus* prima et essentialis quidem, non tamen *tota* bonitas, a *forma* desumitur, sed et a *forma* et ab *accidentibus*, ita et in *moralibus*. Quemadmodum enim ipsum *objectum*, ita quoque *accidentia* seu *circumstantiæ* cum *moralitatis* regulis convenire vel ipsis repugnare possunt. Ergo. ²⁾

188. **Scholium.** Circumstantia frequenter excedit rationem circumstantiæ et transit in objectum, adeoque *primam et essentialem* bonitatem vel malitiam actui tribuit. Quod fit triplici modo: scil. 1^o quando ipsum *objectum* est *indifferens*; quo casu *actus*, nondum habens

¹⁾ Suarez, *De voluntario*, Disp. 5. — ²⁾ l. 2. q. 18, a. 3.

esse morale ex objecto, primam et specificam moralitatem a circumstantia accipit. Ita v. g. studium ex zelo animarum est opus charitatis. — 2^o Quando finis vel circumstantia primam moralitatem, quam actus ex objecto habet, destruunt; ut si eleemosyna daretur unice ex vana gloria. — 3^o Circumstantia speciem mutans, quæ est accidens actus generice sumpti, est objectum actus specificè sumpti. Ita sanctitas rei, quæ est circumstantia furti generice sumpti, est objectum partiale furti specificè sumpti seu furti sacrilegi, adeoque tali furto primam et specificam malitiam partialiter tribuit. Et quidem hoc posteriori modo actus considerari solent.

SECTIO III.

Finis operantis.

189. Prænot. Quamvis finis operantis inter circumstantias numeretur, speciatim tamen a Moralistic considerari solet, quia magnopere in moralitatem influit.

PROPOSITIO.

Actus humanus secundariam et accidentalem bonitatem vel malitiam habet a fine operantis.

190. Prænot. Finis operantis hic intelligitur respectu actus imperati, cujus revera circumstantia est, nisi transeat in objectum, ut supra (N. 188) notavimus; non vero intelligitur respectu actus eliciti, cujus non est circumstantia, sed objectum. Actus igitur interior seu elicitus, ut monet Angelicus, ¹⁾ potius denominatur a fine quam ab objecto actus externi seu imperati; ita ut

¹⁾ I. 2. q. 18, a. 6.

qui furatur, ut adulterare possit, vocetur potius *adulter* quam *fur*; quia objectum actus *interni*, in quod præcipue tendit voluntas, est *finis ille*, seu adulterium. E contra actus *externus* seu *imperatus* dicitur potius *furtum*, quia objectum, in quod actus *externus* proxime et per se tendit, est *res aliena ut auferenda*. Cum tamen actus internus et externus unum et eundem actum moralem constituent, hinc actus, tum internus tum externus, habet *utramque* et *eandem* malitiam tum *furti*, tum *adulterii*.

191. Prob. Finis operantis est *circumstantia* actus humani. Ergo. — Præterea finis non solum circumstat actum humanum, sed *in ipsum speciali modo influit tamquam causa moralis*. Ergo. ¹⁾

192. Coroll. 1^o Actus ex objecto *indifferens* a fine operantis primam et *specificam* moralitatem habet (N. 188). — 2^o Actus ex objecto *bonus* in bonum finem relatus, actus ex objecto *malus* in malum finem relatus tot bonitates vel malitias habet *superadditas*, quot ei præstituuntur fines boni vel mali. Jejunium in honorem B. M. V., et simul in satisfactionem pro peccatis, habet triplicem bonitatem, scil. temperantiæ ex objecto, religionis et penitentiæ ex duplici fine operantis. *Hinc colligitur utilitas bonæ intentionis*.

§ II.

Quænam requirantur ut actus humanus sit bonus vel malus.

193. Prænot. Itaque actus humanus *in concreto*

¹⁾ l. 2. q. 18, a. 4.

actus internus
finis ille
adulterium
actus externus
seu imperatus
est furtum

It is understood that involved in the act of the hand may be the object of the will, but the object of the will is the end of the act, and the object of the act is the end of the act.

*In abstracto sol
ta pendentibus
aliter non abstrahit
ad objectum*

spectatus suam bonitatem vel malitiam ab objecto,² sine et circumstantiis repetit. Id autem inter utrumque discriminis est, quod ad bonitatem, quæ in plenitudine essendi consistit, requiritur ut nullum ex his tribus, scil. nec objectum, nec finis, nec ulla circumstantia a morum regulis deficiat; secus enim actio erit mala, i. e. vel ex toto mala, vel certe in bonitate deficiens; e contra ad malitiam sufficit, ut unum ex his tribus, scil. vel objectum, vel finis, vel aliqua circumstantia a morum regulis discrepet. „Quilibet singularis defectus causal malum; bonum autem causatur ex integra causa.”¹⁾ Utrumque speciali sectione explicabimus.

Non ex integra causa malum ex quocumque defectu.

SECTIO I.

Actus moraliter bonus.

*Quæ sunt requisita
actus boni?*

194. Requisite pro actu bono. Ut actus humanus moraliter bonus sit (conf. § I), requiruntur tria, scil. :

1^o Finis bonus seu actui proportionatus; etenim „cum rationis sit ^{non sollem} ordinare, actus a ratione deliberativa procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi, et habet rationem mali.”²⁾

2^o et 3^o Objectum et circumstantiæ saltem indifferentes. Non requiritur, ut objectum et circumstantiæ sint bonæ, nam actus ex objecto indifferens, in bonum finem relatus revera bonus est; in casu tamen finis habet rationem objecti. *non est nisi in bono*

4^o Ut bonitas agentis imputetur, requiritur præterea, ut

¹⁾ I. 2. q. 18, a. 4, ad 3. — ²⁾ I. 2. q. 18, a. 9.

Ad hoc quod sit voluntas bona, requiritur quod sit bona sub ratione boni; id est, quod velit bonum, et propter bonum. ¹⁾ Si quis jejundet ex avaritia, vel ut acuat appetitum ad melius prandendum, jejunium non est moraliter bonum. — *Directe autem intendimus bonum, quando volumus bonum sub ratione boni; non quatenus necessaria foret ista reflexio in animo agentis, sed quatenus bonum volumus affecti ejus bonitate. Qui vult scientiæ, suo muneri necessariæ, incumbere, motus bonitate, quæ in studio illo reperitur, vult bonum sub ratione boni.*

195. Quid intelligatur per finem bonum seu debitum. Primum requisitum, ut actus moraliter bonus sit, est *finis bonus*. Quisnam vero finis hoc nomine veniat, duplici quæstione investigabimus. Itaque quæritur:

1^o *Utrum actus humanus, ne malus sit, in finem honestum referri debeat.*

2^o *Utrum referri debeat in Deum, seu finem ultimum.*

Pro responso sit Propositio duplex.

PROPOSITIO I.

Actus humanus, ne malus sit, referri debet in finem honestum.

196. Prænot. *Scotista* docent actum humanum, dummodo ne *positive* excludatur finis ultimus, sine peccato ordinari posse in aliquem finem inferiorem, i. e. in aliquod bonum respiciens *commoditatem* vel *indigentias naturæ*, vel etiam in aliquod bonum *sensibile delectabile*, quando nimirum agitur de illis operationibus, quæ, ut

*Opus Scotista
Actus humanus
bonus est, si referatur
in finem ultimum
dummodo finis ultimus
non ne positive excludatur.*

¹⁾ q. 19, a. 7, ad 3.

aiunt, per se tantum ordinatæ sunt ad oblectandum. Tales operationes porro sunt: olfacere flores, aspicere amœnum campum, audire suavem concentum, aliaque id genus. Qui in tali delectatione sistit seu ei inhæret per modum finis *negative* ultimi, non peccat, neque facit actum moraliter bonum, sed indifferentem (N. 208).

Hanc sententiam amplectitur S. Bonaventura, ¹⁾ et præter Scotistas, saltem ut *probabiliorem* sequuntur Vasquez, ²⁾ Lessius ³⁾ et multi recentiores. ⁴⁾

E contra S. Thomas ⁵⁾ cum sua Schola requirit finem honestum; quam sententiam merito *probabiliorem* dicit Suarez ⁶⁾; consentit S. Alphonsus ⁷⁾ et plerique recentiores.

197. Prob. Quotiescumque homo deliberate agit, debet agere *ut homo*, i. e. juxta dignitatem ac exigentiam *naturæ rationalis*. Etenim Creator omnibus creaturis indidit, ut agant secundum suam propriam naturam. — Atqui iste agendi modus in homine importat agere propter finem *honestum*. Et sane, quamvis pars sensitiva, haud secus ac rationalis, ad humanam naturam pertineat, non tamen *ex æquo*; siquidem *rationalis* ad ipsam pertinet ut *principalior* ac *domina*, e contra *sensitiva* ut *inferior* ac *ancilla*. Hinc ratio debet utrique parti providere ita, ut provideat rationali *propter seipsam*, in ordine ad finem ejus proprium, sensitivæ autem *propter rationalem*, in ordine ad *bonum rationis*; secus enim pars nobilior non dominaretur, sed ancillaretur inferiori,

¹⁾ In *11 Sent.* Dist. 41, a. 1, q. 3. — ²⁾ In 1. 2. q. 18, Disp. 52. — ³⁾ In 1. 2. q. 18, a. 9. — ⁴⁾ Quoad Propositiones ab Innocentio XI damnatas (infra N. 198, *Coroll.* 3^o) Scotistæ respondent ipsas spectare delectationem, quæ non est finis a natura intentus. — ⁵⁾ 1. 2. q. 4, a. 2, ad 2. — ⁶⁾ *De bonitat. et malit.* Disp. 9, s. 3. — ⁷⁾ lib. 2, XLIV.

adeoque ordo naturalis inverteretur. Ergo.

198. Coroll. 1^o Hinc actiones otiosæ, seu quæ fiunt sine ulla causa rationabili, sunt moraliter malæ. ¹⁾

Cave tamen, ne cum actionibus otiosis confundas illas actiones, quæ inserviunt sanitati, rectæ corporis consistentiæ etc. Etenim ista revera sunt *bona honesta*; homo siquidem, etiam *ut ens rationale*, consulere debet parti *vegetativæ ac sensitivæ* sibi individue sociatæ (N. 165, B), cujus servitio in vita terrestri omnino indiget. Ergo *recta ratio dicitur hisce naturæ indigentis esse subveniendum.* Unde Angelicus: „Hoc ipsum, quod aliquis agit *ordinate* ad sustentationem vel quietem sui corporis, ad *bonum virtutis ordinatur in eo, qui corpus suum ordinat ad bonum virtutis.*” ²⁾ Istiusmodi igitur actiones, nedum malæ vel indifferentes, e contra *moraliter bonæ sunt, utpote vere honestæ.*

Si vero per commoda corporalia intelligantur *delectationes sensibiles*, attendas ad Coroll. seqq.

2^o Omni vitio caret agere cum delectatione. Deus enim operationibus apposuit delectationem, veluti quoddam *condimentum*, quo alliciatur homo ad operationes sibi necessarias vel utiles. „Divinus intellectus, qui est institutor naturæ, delectationes apposuit propter operationes.” ³⁾

3^o Non licet agere propter solam delectationem, ita ut in ea penitus sistatur. ⁴⁾ — Si tamen delectatio *in se* non mala sit, peccatum erit dumtaxat *veniale*, quia usus inordinatus alicujus rei alioquin licitæ gravem inordina-

¹⁾ 1. 2. q. 18, a. 9, *Sed contra est.* — ²⁾ 1. 2. q. 18, a. 9, ad 3. —

³⁾ 1. 2. q. 4, a. 2, ad 2. — ⁴⁾ Innocentius XI damnavit hanc Prop.: „Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.”

tionem non continet. — Secus vero dicendum foret, si ipsa delectatio esset graviter mala, qualis est delectatio *venerea*; vel etiam si quis in delectatione, quaecumque sit, actualiter aut virtualiter *finem ultimum reponeret*.

4^o Quamvis sæpe expediat *ex spiritu mortificationis* delectationi sensili renuntiare, nihilominus tamen licitum est agere *propter* delectationem, dummodo delectatio *subordinetur fini honesto*. Hinc nullatenus peccat, qui intendit delectationem cibi vel ludi, recreationem aurium ex musica, oculorum ex visione pulchri, narium ex olfactione floris etc., etiamsi in his similibusque actibus de ulteriore fine non cogitet, *dummodo finem ulteriorem, seu honestum, aliqua ratione virtualiter intendat*. Ad hoc autem sufficit *aut actionem apprehendat tamquam rationi consonam, aut servet moderamen, ut consueverit delectationem assumere propter aliquam animæ vel corporis utilitatem.* ¹⁾

199. Scholium. Utraque sententia, etsi in principiis *speculativis* valde opposita, *practice vix differt*. Scotistæ enim, haud secus ac Thomistæ, prohibent, ne finis actus humani positive ac ultimatim reponatur in creatura ac proinde in bono delectabili. — Pariter Thomistæ, haud secus ac Scotistæ, ad peccatum vitandum sufficere docent, ut agens in quærendo bono delectabili *virtualiter intendat ulteriorem finem honestum.* — Cum igitur vix contingat aliquem peccare, nisi vel delectationem quærat *immoderate*, vel ulteriorem finem *positive excludat*, hinc sententia Thomistica, quamvis prima fronte severior, penitius tamen inspecta est benignior, utpote quæ multas actiones, quas Scotistæ *indifferentes* dicunt,

¹⁾ Gury-Dumas, N. 28.

moraliter bonas prædicet. ¹⁾

PROPOSITIO II.

Omnis actus humanus, ne malus sit, in Deum referendus est; sufficit tamen ratio virtualis implicita.

200. Prænot. I. Duplex distinguitur operum in Deum ratio, una naturalis, qua opus in Deum refertur ex motivo naturaliter honesto; altera supernaturalis, qua opus in Deum refertur ex motivo supernaturali per fidem cognito. De hac relatione supernaturali agunt Theologi; ²⁾ nobis sermo est de relatione mere naturali.

II. Hæc ratio naturalis potest esse vel actualis vel virtualis, quæ iterum est vel explicita vel implicita (N. 9). Jam vero per implicitam operum relationem in Deum intelligimus, quod homo ex una parte in agendo finem ultimum seu Deum non excludat, et ex altera parte actum ex objecto bonum propter se intendat, vel, si sermo sit de actu indifferente, hunc actum indifferentem dirigat in aliquem bonum finem extrinsecum.

201. Prob. pars I. In Deum referendus est. Bonitas et malitia actuum humanorum consistit in eorum-

¹⁾ Controversias hanc intricatam questionem spectantes latius vide apud Billuart, Diss. IV, a. 6; Gury-Ballerini, I, N. 28 in nota, II, N. 908 in nota; Vindic. Alphons. p. VII, q. 8; Raphaël a S. Jos. N. 243, seqq.; Ballerini, N. 172, seqq. — ²⁾ A relatione supernaturali non pendet honestas naturalis actus humani, et ideo omnia opera infidelium nequaquam peccaminosa sunt. Quare Ecclesia damnavit has Prop. Baianas: 25m: "Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia;" et 35m: "Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est." Conf. Billuart, De Charitate, Diss. IV; Perrone, De Fide etc., pars III, N. 259, seqq.; Gury-Dumas, N. 31, 32; Ballerini, N. 181, seqq.

Duplex ratio
relativa.
a. naturalis

b. Supernaturalis

Relatio naturalis
(actualis vel virtualis)
explicita
implicita.

Omnis actus
humanus in Deum
referendus est.

dem convenientia et repugnantia cum ordine naturali (N. 156). Atqui ordo naturalis exigit, ut omnia in Deum referantur. Etenim Deus est finis *absolute ultimus* omnium creaturarum in primis vero creaturarum rationalium (*Cap. I, Art. I, § III*). Deus autem non esset finis absolute ultimus, si aliquis actus humanus in bono *creato* absolute terminari posset. Ergo.

*Sufficit rebus
vultibus impliciter*
Prob. pars II. *Sufficit relatio virtualis implicita.* Homo, qui in operando Deum non excludit et simul intendit finem honestum, sive intrinsecum, sive extrinsecum, *eo ipso intendit Deum*. Etenim omnis finis particularis honestus *natura sua* tendit ad Deum, honestatem primigeniam et fontalem, cujus hæc particularis honestas est quædam participatio. „Omne opus, inquit Suarez, quo impletur aliquod præceptum naturale, *natura sua* tendit in Deum ut in ultimum finem, et *quantum est ex se* cadit in gloriam Ejus. Quia a Deo procedit tamquam a primo et principali auctore, et quia per illud reipsa impletur voluntas Dei, etiamsi operans hoc formaliter non intendat; et quia tale opus est honestum et proportionatum ultimo fini naturali hominis, qui principaliter est Deus.” ¹⁾

§ *Nec ulla lex assignari potest, vi cujus homo teneretur omnia in Deum referre relatione explicita.* — Hæc enim lex non esset alia, nisi præceptum *diligendi Deum super omnia*. Attamen, „quia hoc præceptum *affirmativum* est, non obligat *pro semper* (N. 335, 6^o), sed pro temporibus opportunis; et ideo talis dilectio non est necessaria ad implenda alia præcepta integre, et sine ulla transgressione alicujus præcepti naturalis.” ²⁾ Ubi ergo

¹⁾ *De leg. lib. 2, cap. 11, N. 2.* — ²⁾ Suarez, l. c.

non urget hoc præceptum dilectionis, ibi nec habetur obligatio relationis virtualis *explicite*.

Ergo requiritur et etiam sufficit relatio virtualis implicita, ne actus humanus moraliter malus sit.

202. Questio. Utrum voluntas humana, ut bona sit, conformari debeat voluntati divinæ.

Prænot. I. Distinguendum est inter volitum materiale, quod est ipsa res voluta, et volitum formale, quod est ipsum motivum seu ipsa ratio volendi. Porro volitum formale rursus est proximum vel ultimum; prius est ipsa ratio particularis, propter quam aliquid volumus; alterum est gloria Dei.

II. Voluntas humana voluntati divinæ conformari potest vel positive, i. e. actu positivo approbando, vel negative, i. e. non improbando illud, quod vult Deus. His positis:

Resp. 1^o Voluntas humana voluntati divinæ positive conformari debet in volito formali ultimo; homo siquidem saltem virtualiter implicite debet intendere gloriam Dei, quæ est finis absolute ultimus totius creationis (N. 12 et N. 201).

2^o Si excipias divina præcepta et prohibitiones, voluntas humana voluntati divinæ non semper positive conformari debet in volito materiali et in volito formali proximo, sed potest positive nolle volitum materiale divinum, ast sub alia ratione et ex diverso motivo. Ratio est, quia una et eadem res sub una ratione potest esse bona, et eatenus appeti, sub alia vero ratione potest esse mala, et eatenus refugi. Hinc filius dolere potest de morte patris, et optare ejus vitam, v. g. prop-

ter bonum familiæ, licet Deus velit mortem patris. Quocirca S. Aug. : „Aliquando autem *bona voluntate* homo vult aliquid, quod Deus non vult; tamquam si bonus filius patrem velit vivere, quem Deus bona voluntate vult mori.” ¹⁾

3^o Voluntas humana voluntati divinæ *negative* conformari debet in voluto *materiali* et *formali proximo*; cum enim voluntas divina sit essentialiter sancta et iusta, nunquam licet *improbare id, quod vult Deus, vel etiam rationem, propter quam id vult.*

4^o Præterea debemus esse parati etiam *positive approbare id, quod Deus vult, si opus foret.* ²⁾

SECTIO II.

Actus moraliter malus.

203. **Conditiones actus mali.** Pro actuum humanorum malitia, ut ex dictis (§ I et N. 193) colligitur, sufficit vèl objectum, vèl finem, vèl aliquam circumstantiam ab honestate deficere; nec requiritur ut agens malitiam intendat, sed sufficit ut malitiam cognoscat. Ratio est, quia malum non solum *non potest appeti*, sed etiam *debet vitari*. Atqui malum non vitatur ab eo, qui *libere* ponit actum, cui malitia inhæret. „Unde, *sive voluntas sit ejus, quod est secundum se malum sub ratione boni, sive sit boni sub ratione mali, semper voluntas erit mala.*” ³⁾

204. **Coroll.** 1^o Itaque a) intentio bona nunquam excusat malitiam actionis. „Ea, quæ constat esse

¹⁾ *Enchyrid.* cap. 101. — ²⁾ 1. 2. q. 19, a. 9 et 10; Suarez, *De bonit. et malit.* Disp. 11; Billuart, Diss. IV, a. 7. — ³⁾ 1. 2. q. 19, a. 7, ad 3.

*Malum est
quocumque de se
est.*

*in bono
malum*

*Finis totalis boni
Bonum primum
primum secundarium*
talem seu unicum, et finem partialem, qui iterum est vel *primarius* vel *mere secundarius* (N. 6, D). Qua distinctione posita :

Resp. 1^o *Quando malus finis est totalis vel etiam primarius, actio erit tota mala.* Etenim qui *unice* vel *primarie* propter finem malum operatur, „vult id, quod de se est bonum, *sub ratione mali*; et ideo *prout est volitum ab ipso* est malum.” 1) Ita qui *mere* orat, ut ab hominibus videatur, qui *mere* propter vanam gloriam pauperi subvenit, facit actum totaliter malum.

2^o *Quando malus finis est mere secundarius, actio erit partim bona, partim mala.* „Si accipitur unus actus, prout est *in genere moris*, impossibile est, quod sit bonus et malus bonitate et malitia morali; si tamen sit unus unitate *naturæ* et non unitate moris, potest esse bonus et malus.” 2) Atqui actio, de qua agitur, etsi una in esse *physico*, est tamen duplex in esse *moralis*. Duplex siquidem in casu habetur voluntas, una bona intendens bonitatem objecti vel alicujus finis extrinseci, altera mala intendens *secundarie* aliquem finem malum. — Cum jam voluntas bona in hypothesis non *subordinetur* voluntati malæ, hinc facit actum *moraliter distinctum*. Hinc si quis det eleemosynam principaliter ex misericordia, et *secundarie* ex cupidine vanæ gloriæ, actio est partim bona, partim mala.

Attamen excipiendus videtur casus, quo finis, etsi *secundarius* (et idem dicatur de *circumstantia*), *graviter* malus esset; vix enim contingere potest, ut quis, sese totaliter avertens a *Deo*, prima moralitatis regula, *sincere velit honestatem*, quæ in objecto inhæret. Hinc elee-

1) 1. 2. q. 19, a. 7, ad 2. — 2) 1. 2. q. 20, a. 6.

mosyna data operario ut fabricam domini incendat, simpliciter mala est, ¹⁾ etsi primarie intenderetur sublevamen miseræ.

Quæ diximus de *sine* secundario venialiter malo, a fortiori dicenda sunt de *circumstantiis externis* venialiter malis, quæ non raro actus optimos comitantur. — His omnibus accedit, quod si quævis intentio vel circumstantia leviter mala omnem bonitatem destrueret, in ipsis viris timoratis vix ullum opus bonum superesset. — Atqui durum nimis ac absurdum est hoc consequens. Ergo. ²⁾

ARTICULUS III.

De Moralitatis extensione.

206. Prænot. Ut extensio moralitatis rite intelligatur, tria nobis consideranda sunt: 1^o *Utrum moralitas se ad omnes actus humanos extendat, ita ut non sit actus indifferens*; 2^o *utrum actus imperatus habeat moralitatem distinctam a moralitate actus imperantis*; 3^o *utrum passiones animales moralitatem habeant.*

§ I.

Utrum sit actus indifferens.

207. Prænot. I. Actus humanus potest considerari *in specie*, seu *in abstracto*, et *in individuo*, seu *in concreto*. Consideratur in abstracto, quando attendi-

¹⁾ Sunt tamen auctores, qui doceant actionem, ex objecto bonam, *objecti* bonitatem retinere *in quacumque hypothesis*, dummodo finis sive venialiter sive etiam mortaliter malus ne sit *totalis* ac *adequata* ratio, cur illa actio eligatur. Ita inter recentiores Raphaël a S. Joseph, N. 166. — ²⁾ Suarez, *De bonit. et malit.* Disp. 8, s. 1; Billuart, Diss. IV, a. 4; Lehmkühl, N. 32, seqq.; Ballerini, N. 162, seqq.

tur *solum ejus objectum*; consideratur in concreto, quando attenduntur *cum objecto etiam circumstantiæ et finis*, quæ sunt *accidentia actus moralis*. ¹⁾

II. Quæstio est de solis actibus *deliberatis*; actus enim *indeliberati* non sunt *morales*.

III. Actus deliberatos consideramus in ordine mere *naturali*; siquidem extra controversiam est, multos actus in ordine *supernaturali* esse indifferentes, i. e. neque *meritorios*, neque *demeritorios*. Exemplum habes in *eleemosyna* ab infideli data ex naturali misericordia.

PROPOSITIO.

Dantur actus indifferentes in specie, non tamen in individuo.

208. Prænot. *Scotistæ* ²⁾ propugnant actus indifferentes *in individuo*. Tales sunt actus ob bonum physicum et delectabile positi, juxta explicata N. 196; non sunt *boni*, quia non referuntur in finem *honestum*, sed in aliquod bonum physicum ac delectabile; non sunt *mali*, quia non referuntur in aliquem finem *inhonestum*, et aliunde non existit obligatio referendi omnes actus in finem *honestum*. Sententiam *Scoticam*, saltem ut probabiliorem, propugnant *Vasquez*, ³⁾ *Lessius* ⁴⁾ etc., et nonnulli recentiores, ut *Walsh*. ⁵⁾

Sententiam actus in individuo indifferentes negantem tenet *S. Thomas*. ⁶⁾ *Angelicum* sequuntur *Thomistæ*, *Suarez*, ⁷⁾ *S. Alphonsus* ⁸⁾ et fere omnes recentiores.

¹⁾ *De malo*, q. 2, a. 5. — ²⁾ *S. Bonav.* In *II Sent.* Dist. 41, a. 1, q. 3. — ³⁾ In 1. 2. q. 18, Disp. 52. — ⁴⁾ In 1. 2. q. 18, a. 9. — ⁵⁾ *De act. hum.* N. 588, seqq. — ⁶⁾ 1. 2. q. 18, a. 9. *De malo*, q. 2, a. 5. — ⁷⁾ *De bonitate et malit.* Disp. 9, sect. 3. — ⁸⁾ lib. 2, XLIV.

*Actus in individuo
dicuntur scotistæ.*

*Indifferentes
propugnantur
Thomistæ.
Immo eas habent
delictum peccatum ab ipso
in concreto, et in
of in fine scotistæ
indifferentes*

Quam sententiam ut *probabiliozem* amplectimur.

209. Prob. pars I. *Dantur actus indifferentes in specie.* Actus in specie consideratus, comparatur ad solum suum *objectum*. Atqui multa objecta neque important aliquid conveniens rationi, neque aliquid rationi repugnans. Et sane actus scribendi, ambulandi, et alii similes, secundum suum objectum seu substantiam spectati, rationi neque conformes neque difformes sunt. Ergo. ^{in abstracto})

Prob. pars II. *Non dantur actus indifferentes in individuo.* Homo deliberate agens, semper formaliter ob aliquem finem operatur (N. 7, seq.). Atqui finis iste consistit vel in aliquo bono *honesto* vel in aliquo bono *delectabili*; bonum namque *utile* non appetitur propter se, sed *propter aliud*, et ideo non habet rationem finis, sed *puri medii*. Atqui actus humanus in finem honestum relatus, si aliunde nihil deficiat, est moraliter bonus; et e contra actus relatus in bonum delectabile ita, ut nequidem *virtualiter* bonum honestum intendat, est moraliter malus. ^{etiam si delectabile facta} 2) Ergo (N. 196, seqq.).

210. Scholium. *Per accidens actus in individuo indifferens esse potest.* Et quidem ex duplici capite: a) posset aliquis *suam conscientiam jure efformare* vi argumentorum ac auctoritatum sententiæ Scotisticæ; nam inter sententias probabiles utramlibet eligere licet; b) posset aliquis *invincibiliter ignorare* naturale præceptum referendi omnes actus humanos in finem honestum. — In utroque casu actus humanus per accidens indifferens esse potest. 3)

¹⁾ 1. 2. q. 18, a. 8. — ²⁾ 1. 2. q. 18, a. 9. — ³⁾ Quoad difficultates vide Lehmkühl, N. 40.

§ II.

Utrum actus imperatus habeat Moralitatem formalem distinctam a Moralitate actus Imperantis. *actus elicitus*

*Words by which of itself
the validity of the
idea of order*

*Is an order which
brings the moralitas
of the actus imperatus
in the actus elicitus
by formal fecunditas
regard Thomas*

211. Prænot. Sæpe contingit ut voluntas, cæteroquin efficax, impediatur ab executione actus imperati; inde quæstio: utrum talis voluntas contrahat moralitatem actus imperati, *etsi non secuti*. — Solutio difficultatis pendet a quæstione altera: utrum actus imperatus habeat suam specialem moralitatem formalem distinctam a moralitate ipsius actus imperantis seu eliciti, quam huic actui imperanti *superaddat*, ita ut operantem reddat simpliciter meliorem aut pejorem. — Affirmant Scotistæ; e contra negant S. Thomas, ¹⁾ Suarez, ²⁾ S. Alphons. ³⁾ et Moralistæ communiter.

PROPOSITIO.

Actus imperatus per se non addit moralitatem, seu bonitatem vel malitiam actui elicito efficaci; addere tamen potest per accidens.

212. Prænot. Dicitur ^{1º} *bonitatem vel malitiam*; non enim hic agitur de quibusdam *effectibus*, qui actui imperato seu externo sæpe annexi sunt ex ordinatione Dei vel Ecclesiæ, vel etiam sui natura. Ita solo actu elicito non consequeris effectus Sacramentorum, aureolam martyrii, vel Indulgentiam operi externo concessam; nec censuram incurris sola voluntate. — Pariter restitutionis obligationem non contrahis per injustitiam mere affectivam. — Præterea actui externo sæpe inest

¹⁾ l. 2. q. 20, a. 4. — ²⁾ *De bonit. et malit.* Disp. 10. — ³⁾ lib. 2, XL.

major vis satisfactoria, quatenus est opus pœnale etc. ¹⁾

Dicitur 2^o actui elicitō efficaci; non intelligatur hic *simplex complacentia* seu quædam velleitas, sed perfecta voluntas, quæ operari parata sit, et sui natura non sit necessario inefficax in ordine ad executionem actionis, quam velit. Ita esset *mera velleitas*, si dives cuperet alere centum pauperes, sed sufficientem pecuniam non daret; vel si quis vellet tantum placere et obsequi Deo quantum Christus. E contra est *perfecta voluntas*, si quis, volens redimere servum, mittat sufficientem pecuniam, quæ tamen a latronibus in via intercipitur. De tali *perfecta voluntate* intelligatur Propositio.

213. Prob. pars I. *Per se non addit.* Actus imperatus secundum se non habet bonitatem vel malitiam formalem; siquidem moralitas formalis fundatur in libertate; porro libertas intrinsece soli actui elicitō competit, actui imperato non nisi extrinsece et per participationem, in quantum scil. ex imperio voluntatis procedit. Atqui si actus imperatus intrinsece nullam libertatem, adeoque secundum se nullam moralitatem formalem habet, perfecto nullam moralitatem formalem per se actui elicitō superaddere potest. ²⁾ Ergo.

Prob. pars II. *Addere potest per accidens.* Etenim actus imperatus sæpe est causa vel occasio, quod ipse actus elicitus fiat melior vel pejor. Hoc autem contingit:

a) ratione majoris intensionis; siquidem voluntas in ipso

¹⁾ Suarez, *De bonit. et malit.* Disp. 10, s. 2; S. Alphons. lib. 2, XL. —

²⁾ Consonant SS. *Litteræ*, quæ sinceram voluntatem pro facto reputant: "Quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi." Gen. XXII, 16. "Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo." Matth. V, 28.

*habetur in generali
sine hanc hanc parte
de velle de velle dicit
vile nemo generat
Hedfordi hanc dicit*

actus imperati exercitio magis accendi solet propter delectabilitatem vel arduitatem isti actui annexam. —

b) *Ratione majoris durationis*; quatenus propter operis executionem actus elicitediutius continuatur. —

c) *Ratione multiplicationis*; sæpe enim contingit actum elicitedi multiplicari, donec perficiatur actus imperatus. ¹⁾ Ergo.

214. **Coroll.** „Qui habet voluntatem dandi eleemosynam et non dat, quia non habet facultatem, tantumdem meretur, quantum si daret, per comparisonem ad *præmium essenziale*, quod est gaudium de Deo; hoc enim meritum respondet caritati, quæ ad voluntatem pertinet; sed per comparisonem ad *præmium accidentale*, quod est gaudium de quocumque bono creato, magis meretur, qui non solum vult dare, sed dat; gaudebit enim non solum quia dare voluit, sed quia dedit, et ex omnibus bonis, quæ ex illa datione provenerunt. — Et similiter si consideretur quantitas demeriti per comparisonem ad *pœnam essentielle*, quæ consistit in separatione a Deo et dolore exinde proveniente, non minus demeretur, qui sola voluntate, quam qui voluntate et actu peccat; quia hæc pœna est contemptus Dei, qui respicit voluntatem; sed quantum ad *pœnam secundariam*, quæ est dolor de quocumque alio malo, sic magis demeretur, qui actu et voluntate peccat; habebit enim dolorem non solum de eo, quod male voluit, sed etiam de eo, quod male fecit, et de omnibus malis, quæ de ejus maleficio provenerunt.” ²⁾]

¹⁾ 1. 2. q. 20, a. 4. — ²⁾ *De malo*, q. 2, a. 2, ad 8.

§ III.

Utrum passiones animales Moralitatem habeant.

215. PRÆNOT. I. De passionum animalium esse physico, deque earum instu.ru in voluntarium liberum supra (N. 102, seqq.) diximus. — Porro in ordine physico passiones per se esse bonas, extra controversiam est. Siquidem appetitus sensitivus, passionum istarum subiectum, est facultas homini, animali rationali, naturaliter propria; et passiones ipse inserviunt conservationi tum individui, tum speciei humanæ. — Per accidens tamen etiam in ordine physico passiones evadunt male propter immoderantiam præsertim modi. Siquidem lugenda experientia docet, passiones immoderatas perturbare esse physicum tum animæ, tum corporis, pluresque homines, ob passiones indomitas, lenta interire morte quam violenta in bello.

Handwritten note:
 Dies ist eine Reflexion
 über die Natur der
 Begehrvermögen.
 und besonders über die
 moralische Natur der
 menschlichen Seele.

II. Superest, ut dicamus de passionibus secundum ipsarum esse morale. Hoc autem triplici quæstione præstabimus: 1^o Utrum passiones moralitatem habeant; et undenam ipsarum bonitas vel malitia pendeat; 2^o quomodo passiones in homine ad viam intellectualem eleventur; 3^o quam utiles vel noxiæ sint passiones animales.

SECTIO I.

**Utrum passiones Moralitatem habeant;
 et undenam ipsarum bonitas
 vel malitia pendeat.**

216. **Errores.** A. Stoici, non admittentes appetitum sensitivum, passiones animales habebant veluti

quosdam animæ morbos. Hinc deducebant passiones omnes natura sua esse moraliter malas, et plenam apatthiam seu omnimodam passionum carentiam in sapiente requiri. Pariter Kant ¹⁾ virtutem a sanctitate distinguens illam in lucta contra passiones, hanc vero in immunitate ab omni passione constituit. ²⁾

B. *Epicuristæ* ex adverso docebant *passiones esse fovendas*, dummodo valetudini corporis ne nocerent; nec meliora de passionibus tradiderunt *Materialistæ*.

PROPOSITIO I.

Passiones nec bonæ nec malæ sunt secundum se, sed quatenus subjacent voluntatis imperio.

217. Prob. pars I. *Passiones nec bonæ nec malæ sunt secundum se.* Passiones pertinent ad appetitum sensitivum (N. 103), qui tum ratione, tum libertate caret. Atqui moralitas a ratione et libertate pendet (N. 135). Ergo. ³⁾ *passiones se nec bonæ nec malæ sunt.*

Prob. pars II. *Sunt bonæ vel malæ, quatenus subjacent voluntatis imperio.* Passiones, consideratæ prout subjacent voluntatis imperio, naturam induunt actus imperati (N. 64), et quidem potiore jure, utpote animæ proximiores, quam motus membrorum exteriorum. Atqui liberi motus membrorum exteriorum morales sunt. Ergo a fortiori motus appetitus sensitivi. ⁴⁾

218. Scholium. Quamvis passiones animales secundum se neque bonæ neque malæ sint, frequenter tamen ab auctoribus, præsertim ascetis, dicuntur *malæ*.

¹⁾ *Metaphysische Anfangsgründe der Tugendlehre.* — ²⁾ 1. 2. q. 24, a. 2. — ³⁾ 1. 2. q. 24, a. 1. — ⁴⁾ 1. 2. q. 24, a. 1.

At vero tunc passionum nomine significantur passiones indomite, vel etiam habitus vitiosi.

PROPOSITIO II.

Passiones in homine naturaliter indigent moderamine rationis.

219. Prob. Illud naturaliter in homine indiget moderamine rationis, quod ex una parte est ratione inferiorius, et ex altera parte per naturam non est sufficienter rationi subordinatum. Atqui istiusmodi res est passio. Ergo.

Prob. Min. pars I. Passiones pertinent ad partem inferiorem seu sensitivam, quæ ex naturalis ordinis exigentia parti superiori seu rationali non dominari sed ancillari debet.

Prob. Min. pars II. Quamvis autem passiones rationi, tamquam suæ reginæ, ancillari debeant, frequenter tamen, ut N. 112 et seqq. explicavimus, contra rationem rebellant. Dum igitur in brutis appetitus sensitivus ducitur quadam æstimativa naturali, quæ subijcitur rationi superiori seu divinæ, ¹⁾ in homine ipsa ratio cohibere debet reluctantem appetitum sensitivum.

PROPOSITIO III.

**Moraliter bonæ sunt passiones moderatæ,
moraliter malæ sunt immoderatæ.**

220. Prob. Bonitas et malitia actuum humanorum in eo consistit, quod actus humani regulis mora-

¹⁾ 1. 2. q. 24, a. 4, ad 3.

ciendum ex iudicio rationis, laudabilius operatur, quam qui inducitur ad hoc idem *ex sola animi passione*; . . . et similiter ille, qui inducitur ad peccandum ex deliberatione rationis, magis peccat quam ille, qui inducitur ad peccandum *ex sola animi passione*." ¹⁾

2^o Passio *consequens voluntatem per redundantiam* (N. 119) proprie non auget moralitatem, sed tamen majorem moralitatem indicat, ²⁾ „quia est *signum* passio, quod motus voluntatis sit fortior; et hoc modo verum est, quod ille, qui cum majori compassione facit eleemosynam, magis meretur, et qui cum majori libidine facit peccatum, magis peccat." ³⁾

3^o Passio *consequens voluntatem per electionem* (N. 119) auget moralitatem. ⁴⁾ „Cum enim bonum hominis consistat in ratione sicut in radice, tanto istud bonum erit perfectius, quanto ad plura, quæ homini conveniunt, derivari potest. . . . Sicut igitur melius est, quod homo *et velit bonum et faciat exteriori actu*, ita etiam ad perfectionem boni moralis pertinet, quod homo ad bonum moveatur non solum secundum voluntatem, sed etiam secundum appetitum sensitivum." ⁵⁾

SECTIO II.

Quomodo passiones in homine ad vitam intellectualem eleventur.

223. Passiones eleventur ad vitam intellectualem mediante phantasia. Appetitus sensitivus *per se* non attingit nisi *sensibilia*; in homine tamen, prop-

¹⁾ De malo, q. 3, a. 11. — ²⁾ 1. 2. q. 24, a. 3, ad 1. — ³⁾ De malo, q. 3, a. 11. — ⁴⁾ 1. 2. q. 24, a. 3, ad 1. — ⁵⁾ 1. 2. q. 24, a. 3.

ter intimam conjunctionem cum parte rationali, ipsam voluntatem in appetitione bonorum *spiritualium* comitari potest. Hoc autem fit *mediante phantasia*. Hæc enim facultas, licet mere sensitiva sit, intime tamen cum intellectu connectitur; nullius quippe rei nobis phantasma incidit, quin consequatur *actus intellectus*; et vicissim nihil intellectu percipitur, quin illud phantasia aliqua *sensibili forma* induat, vel saltem *nomen* revocet, quo consuevimus illud objectum significare. Phantasia igitur est quasi *speculum*, in quo *reflectitur* intellectus, ejusque conceptus corpoream veluti formam induunt. Jam vero circa illud phantasma, *in quo bonum spirituale relucet*, appetitus sensitivus potest moveri; atque hoc modo elevatur ad sphaeram vitæ intellectualis, ita „ut simul etiam ipse inferior appetitus *suo modo* tendat in spirituale bonum, consequens appetitum superiorem, et etiam corpus spiritualibus deserviat, sicut in *Psalmo LXXXIII* dicitur: *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum.*” ¹⁾

224. Ex complexu appetitus sensitivi et rationalis resultat animus. Quamvis appetitus sensitivus realiter distinguatur ab appetitu rationali, uterque tamen appetitus, secundum intimam, quæ inter utrumque existit, unionem, considerari potest per modum *unius principii rationalis-sensitivi*. Porro uterque appetitus, quatenus conjunctim movetur in objecta intellectu cognita, uno vocabulo dicitur *animus* (Neerlandice: *gemoed*), *pectus*, *præcordia*, *cor*, etc.

Per hunc appetitum *sensitivo-rationalem* homo, *ani-*

¹⁾ l. 2. q. 30, a. 1, ad l. *Studiën op Godsdienstig etc. XIX jaarg. D. XXVII, Onze zinnlijke neigingen.*

mal rationale, differt tum a puris *spiritibus*, quorum appetitus *mere intellectualis* est, tum a *brutis*, quorum appetitus *mere sensitivus* est. Soli Darwinistæ brutis animum tribuunt. ¹⁾

225. Iste autem animus non est specialis facultas ab appetitu sensitivo-rationali distincta. Quamvis admitti possit *sensus* religiosus, moralis, æstheticus, si hoc nomine intelligatur appetitus sensitivo-rationalis, perquam absurda tamen est opinio Sentimentalistarum, qui animum habent tamquam *specialem facultatem* ab utroque appetitu et intellectu distinctam, animumque reponunt in quodam *cæco instinctu*, cui attribuunt judicia religiosa, moralia et æsthetica. Commotiones organicas, quæ ista judicia subsequuntur, absque tali facultate commentitia declarari posse, supra (N. 173) vidimus. ²⁾ *Concurs. Padoa 1911. 7 April.*

SECTIO III.

Quam utiles vel noxiæ sint passiones animales.

226. Utiles sunt passiones moderatæ. Siquidem *aptiorem reddunt hominem ad sua officia adimplenda*. Et sane, non exiguum voluntati subsidium est ex

¹⁾ *Cor* omnibus est *amoris symbolum*. Disputatur vero inter auctores, utrum cor physicum sit *organum* seu conprincipium passionum animalium. Sententiam affirmantem amplectitur S. Thomas, quem *Scholastici* passim sequuntur. Plerique tamen *recentiores* philosophi et physiologi hoc negant, et organum passionum animalium reponunt in *systemate nerveo*. Juxta istos recentiores *cor* non habet nisi functionem *mere vegetativam*, scil. aptam distributionem sanguinis. Nemo tamen negat *intimam connexionem* inter cor physicum et appetitum sensitivum existere; siquidem unicuique propria experientia constat cor physicum valde obnoxium esse impressionibus, quæ ab animi motibus in ipsum redundant. Conf. Studiën op Godsdienstig etc. XIX jaarg. D. XXVII, *Onze zinlijke neigingen*. — ²⁾ Stöckl, *Psychol. Dynamilogie*, § 64; Studiën, l. c.

eo, quod res eligenda sub majori appetibilitate ab intellectu exhibeatur; hoc autem, mediante phantasia, a passionibus efficitur. Cum ergo homo facilius operetur, utroque appetitu consentiente, passiones, ut merito Plato dixit, sunt veluti *igniculi quidam accendentes virtutem*, et, ut ait Aristoteles, *milites juvantes ducem et arma virtutum*. Hinc Plutarchus recte monuit, non esse sapientis affectus radicitus *evellere*, quia neque potest, neque expedit, sed *ordinem eis præscribere*. ¹⁾

Imo passiones ad heroicis actus animum accendunt; per experientiam enim confirmatur, quam merito Plato dixerit, *magnorum virorum neminem sine enthusiasmo fuisse*. Constantius quidem operantur homines frigidi, vix tamen excedent limites mediocritatis; nihil enim præclarum pro religione, pro patria, pro scientiis et artibus, pro proximi salute præstitum est unquam sine intenso animi affectu. E contra, ubi natura tota, etiam quoad partem sensitivam, accenditur, ibi nulli parcitur labori, ibi nulla difficultate frangitur animus.

227. Noxiæ sunt passiones immoderatæ. Etenim *obnubilantes intellectum*, non modo seriam mentis considerationem tollunt, verum etiam, veluti interposita nebula, impediunt quominus veritatis lumen menti affulgeat. ²⁾

Præterea *voluntatem sensibus subjugant, et in abyssum omnium malorum præcipitant*. Quot enim mala ex passio-

¹⁾ Suarez, *De passionib.* Disp. 1, sect. 2. — ²⁾ Merito de Bonald: "S'il résultait quelque obligation morale de la proposition géométrique, que les trois angles d'un triangle sont égaux à deux angles droits, cette proposition serait combattue, et sa certitude mise en problème." *Démonstration philos.* Préface, Œuvres, VIII.

nibus indomitis vitam tum privatam, tum sociale[m] undique perturbent, quotidiana edocemur experientia.

ARTICULUS IV.

*Regis vni de circums van
Lugubus 1711.*

De actu[m] moralium proprietatibus.

228. Prænot. Actus humani possunt considerari sub triplici respectu: 1^o in ordine *ad regulas morum*, et sub hoc respectu habent *moralitatem*, seu rationem bonitatis et malitiæ, de qua hactenus diximus; 2^o in ordine *ad liberum arbitrium*, a quo procedunt, et sub hoc respectu habent *imputabilitatem moralem*, seu rationem laudabilis vel culpabilis; 3^o in ordine *ad alteram personam*, et sub hoc respectu habent rationem *meriti vel demeriti*. — De imputabilitate, necnon de merito et demerito hoc *Artic.* tractabimus.



De Imputabilitate actuum moralium.

229. Prænot. Circa imputabilitatem actuum moralium quæritur: 1^o *in quo consistat*; 2^o *utrum actus morales imputentur*; 3^o *utrum imputentur actuum effectus*; 4^o *quænam sit imputationis quantitas*; 5^o *quonam tempore contrahatur ab agente malitia effectus imputabilis*.

SECTIO I.

In quo consistat imputabilitas moralis.

230. Notio imputabilitatis. Imputabilitas est proprietas actus humani, *vi cuius hic potest et debet tri-*

bui *agenti tamquam suo auctori et domino*. Huic imputabilitati actuum correspondet in ipso agente responsabilitas, seu habitudo subjecti, vi cujus tamquam suorum actuum auctor et dominus haberi debet.

231. Imputabilitas physica et moralis. Duplex imputabilitas est distinguenda, una *physica*, altera *moralis*. Prior est ea, qua agenti actus imputatur *physice*, non vero *moraliter*, seu in laudem vel culpam. Hæc improprie dicta imputabilitas habetur, quando actus ponitur *ex necessitate physica*; hoc sensu labor imputatur formicæ.

Imputabilitas *moralis* est ea, qua actus imputatur agenti in laudem vel culpam, prout ipse actus bonus vel malus est. Hæc imputabilitas fundatur in *libertate agentis*.

232. Imputabilitas et moralitas. Imputabilitas cum moralitate *semper conjungitur*; nam actus liber, adeoque imputabilis, in individuo semper bonus vel malus est (N. 209). Attamen imputabilitas cum moralitate *non confunditur*, sed ab ipsa distinguitur; hæc enim ordinem dicit *ad regulas morum*, illa vero ad *liberum arbitrium agentis*.

—SECTIO II—

Utrum actus morales imputentur.

PROPOSITIO.

Actus humanus, sive bonus sive malus, agenti jure imputatur in laudem vel culpam.

233. Prob. Imputari alicui actum nihil aliud im-

portat, nisi alicui, tamquam auctori ac domino, attribui. — Atqui actus *humanus*, sive bonus sive malus, est actus cujus homo dominus est. Ergo. ¹⁾

234. Coroll. 1^o Quidquid tollit, minuit vel auget liberum, *eadem ratione* et *eatenus* tollit, minuit vel auget imputabilitatem actuum et responsabilitatem agentis. — Hinc si quis libere ponat actum, cujus malitiam invincibiliter ignorabat, actus non imputatur *quoad illam malitiam ignoratam*. — Ut tamen imputetur *bonitas*, sola libertas non sufficit, sed præterea requiritur, ut illa bonitas *aliquo modo intendatur* (N. 194).

2^o Imputantur a) non solum *actiones*, sed et *omissiones*; b) non solum *actiones ac omissiones propriae*, sed et *alienæ*, secundum quod aliquis earundem *causa moralis* est. ²⁾ c) Imputantur non solum *actiones et omissiones*, sed harum etiam *effectus*: siquidem a libera voluntate aliquid pendere potest tum ut *voluntarium in se*, tum ut *voluntarium in causa* (N. 73 in fine).

Hæc tamen quæstio de imputabilitate *effectuum*, utpote solutu difficilior, latius tractanda est.

SECTIO III.

De imputabilitate effectuum.

235. Prænot. Non disputatur hic de imputabilitate effectuum *bonorum*; nam bonum non imputatur, nisi aliquo modo intendatur; sed quæritur: *Quid requiratur, ut effectus sit ad malum imputabilis.*

Quæstionem triplici Prop. expendemus.

¹⁾ l. 2. q. 21, a. 2. — ²⁾ Novem modi, quibus hoc fieri potest, sunt: *Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus, Participans, mutus, non obstans, non manifestans.*

PROPOSITIO I.

Ut effectus ad malum imputetur, præter causam liberam et sufficientem effectus prævisionem, requiritur obligatio vitandi causam, ne sequatur effectus ille.

236. **Prob. pars I.** *Requiritur causa libera et sufficiens prævisio effectus. Secus enim deficit libertas* (N. 76), quæ est fundamentum imputabilitatis (N. 231).

Prob. pars II. *Requiritur obligatio vitandi causam, ne sequatur effectus ille. Ubi enim non adest obligatio vitandi causam, ibi nec habetur obligationis violatio, adeoque nec peccatum.* — Nec sufficit obligatio *qualis-cumque* vitandi causam, sed requiritur obligatio vitandi causam *ratione illius effectus*. Ita existit quidem obligatio naturalis abstinendi a potu immoderato; porro ex violatione hujus obligationis contrahi potest ægritudo, ex qua bibulus post aliquod tempus redditur impotens ad servandam legem ecclesiasticam jejunii. In casu omissionis jejunii non intenta, sed *solum prævisa*, bibulo non imputatur ad culpam; quia leges positivæ non obligant ad vitandam causam talium omissionum, *nisi proxime et veluti eodem tempore*, moraliter loquendo sequantur. ¹⁾

237. **Scholium.** Porro ut agens eximatur ab obligatione vitandi causam mali effectus, necesse est, ut mox videbimus, ipsum habere *sufficientem rationem* ad agendum. Quoniam vero hæc sufficiens ratio nihil aliud esse potest, nisi *effectus bonus* ex eadem causa secuturus, hinc tota difficultas resolvitur in quæstionem: *Quandonam liceat ponere causam, quæ duos effectus habeat, unum bonum, alterum malum.*

¹⁾ Suarez, *De peccatis*, Disp. 3, s. 4, N. 10.

Con @ l m

De volgen de 2 propositioes...
PROPOSITIO II

Licet ponere causam, cujus duplex est effectus, unus bonus alter malus, quando 1^o ipsa causa est bona vel saltem indifferens, 2^o effectus bonus est immediatus, 3^o adest ratio proportionate sufficiens permittendi effectum malum.

238. Prænot. Effectus malus supponitur non intendi, sed mere permitti; hinc qui rebus parum castis studet, finem inhonestum, nedum consensum in motus inordinatos forsitan secuturos, præcavere debet; quin imo, si agens versaretur in proximo periculo consentiendi in effectum malum, ipsi non liceret ponere causam. 1)

239. Prob. pars I. Requiritur causa bona vel saltem indifferens. Non enim facienda sunt mala, ut eveniant bona. Præterea actus in se malus fit pejor propter effectum malum. (Conf. tamen Prop. præc. Prob. p. II).

Prob. pars II. Effectus bonus debet esse immediatus. Si enim ex causa immediate profluat effectus malus, et non nisi hoc pravo effectu mediante effectus bonus, bonum quæritur ex malo. Atqui hoc nefas est; siquidem finis non justificat media (N. 204). Hinc medico non licet matri ægrotanti dare medicinam, quæ immediate causat mortem prolis in utero, et per mortem prolis sanitatem matris. E contra aliquando licet tali mulieri dare medicinam directe curativam morbi, etsi secum ferat proximum abortus periculum.

Prob. pars III. Requiritur ratio proportionate sufficiens. Etenim lex naturalis nos adstringit ad vitanda

1) Questionem hanc tractant Theologi in Tract. De Penitentia. Inter alios vide Gury, II, N. 628, seqq.

Wel heiligen middelens niet
~~...~~

no delat slach

mala, si absque damno proportionate gravi vitari possint; sed eadem lex cessat, ubi intervenit ratio proportionate sufficiens; hac autem lege cessante, nihil obstat, quominus *permittatur* effectus malus. Accedit, quod secus omnia jura humana fierent illusoria; nam usui cuiuscumque fere juris, ex aliorum malitia, annecti possunt effectus mali; imo ipsi Deo imputanda forent peccata, quæ ex *libertatis physicæ abusu* ab hominibus committuntur.

Itaque effectus bonus, *pensatis commodis et incommodis*, effectui malo *prævalere*, vel hunc *sufficienter compensare* debet. Hoc tamen ne unice intelligas de comodo et incommodo *ipsius agentis*, sed etiam, imo in primis, de comodo et incommodo *totius generis humani*. Hinc patronus non tenetur ad mercedem *justa majorem*, ut præcaveat operariorum blasphemias. ¹⁾

PROPOSITIO III.

Ad efformandum rectum iudicium, utrum adsit ratio proportionate sufficiens ad agendum, non obstante effectu malo, attendendum est 1^o ad qualitatem agentis, 2^o ad naturam utriusque effectus, 3^o ad nexum causalem, qui est inter actionem et hujus duplicem effectum, sive bonum sive malum.

240. Prob. pars I. Ad qualitatem agentis. Nimirum utrum agens 1^o adstringatur *speciali officio* impediendi effectum malum; hoc enim in casu requiritur gravior ratio; hinc gravior ratio necessaria est, ut ad furtum materialiter cooperari liceat *ministris publicis*, quam

¹⁾ Ballerini, N. 43-46.

personis privatis. — Utrum agens 2^o habeat *speciale jus*, vel *obligetur* ad actionem illam; in utroque casu enim minor ratio ad licite agendum sufficit. Hinc minor ratio sufficit ad petendum Sacramentum ab indigno sacerdote, quando est *parochus* petentis.

Prob. pars II. *Ad naturam utriusque effectus.* Quo majus est enim malum secuturum, eo major requiritur agendi necessitas vel utilitas. Sic licet, servato modamine inculpatæ tutelæ, occidere injustum invasorem *vitalæ*, non vero injustum invasorem alicujus *levioris boni*. Generatim bonum majus minori, spirituale temporali, publicum privato est præferendum. Attendas tamen ad N. 239 in fine.

Prob. pars III. *Ad nexum causalem.* Nimirum utrum 1^o effectus, tum bonus tum malus, ex causa sequatur *per se* vel *per accidens*, *proxime* vel *remote*. Si enim effectus malus nonnisi per accidens vel remote sequatur, minor ratio ad agendum sufficit. Hinc ordinarie præter necessitatem commercii inter homines, nulla alia ratio requiritur, ut licite ponatur aliqua actio, ex qua prævidetur periculum alicujus mali, quoties illud non est probabile, vel quoties actio nonnisi remote in illud influit; secus omni convictui humano renuntiandum esset. — Attendendum est, utrum 2^o, actione omissa, a) malus effectus equidem vel certe, vel probabiliter *ex alia causa* secuturus sit, et b) bonus effectus vel facile, vel difficile, vel nullatenus *alia via* obtineri possit. Minor ratio requiritur, ut caupo licite det potum alicui bibulo, si in eodem loco alii caupones habitent ad lucrum semper parati.

Dez. hinc la abste proposition, pp. 2. C'est à dire
Klarung von proposition I ???

SECTIO IV.

Quænam sit imputationis quantitas.

241. Prænot. Actus humanos seu liberos, tum bonos tum malos, in laudem vel culpam *imputari*, hactenus explicavimus. Restat quæstio: *Quænam sit imputationis quantitas.* Distinctione posita inter voluntarium *directum* et *indirectum*, sit Propositio duplex.

PROPOSITIO I.

Quantitas imputationis quoad actus vel etiam actuum effectus directe intentos pendet a duobus: 1^o a majori vel minori bonitate ac malitia actus et effectus, 2^o a majori vel minori gradu voluntarii.

242. Prob. pars I. 1^o *A majori vel minori bonitate ac malitia etc.* Si enim in laudem vel culpam imputatur bonum vel malum *simpliciter*, in laudem vel culpam majorem ac minorem imputari debet bonum vel malum *majus ac minus*. — Hinc magis culpandus est, qui furatur multum, quam qui furatur parum; qui furatur, ut sese inebriet, quam qui furatur, ut pauperi succurrat. ¹⁾

Prob. pars II. 2^o *A majori vel minori gradu voluntarii.* Etenim libertas est fundamentum tum *moralitatis* (N. 135), tum *imputabilitatis* (N. 233). Ergo quo major vel minor in agendo fuerit libertas, eo major vel minor erit moralitas ac imputabilitas. — Hinc actus, etsi *objective* graviter malus, nunquam imputatur ad gravem

¹⁾ Neque opera bona, neque peccata esse æqualia ex natura rei colligitur et explicatur in *Theologia*.

culpam, quando in agente inculpabiliter plena advertentia deficit. — E contra eo pejor erit actus malus, quo majori libertate positus fuerit.

PROPOSITIO II.

Quantitas imputationis quoad effectus malos, non intentos, sed tamen indirecte voluntarios ac imputabiles, pendet a tribus: 1^o a majori vel minori malitia ipsius effectus in se considerati, 2^o a majori vel minori gradu voluntarii in causa, 3^o a nexu causali, qui est inter actum et ipsius effectum.

243. *Prænot.* Propositio restringitur ad effectus malos; nam effectus bonus non imputatur, nisi aliquo modo intentus fuerit.

244. Prob. pars I. 1^o *A majori vel minori malitia ipsius effectus in se considerati.* Hoc patet ex parte I *Propos. præc.* Itaque effectus in se leviter malus nunquam imputatur ad culpam gravem. E contra effectus graviter malus, ut talis, ad culpam gravem imputabilis est; attamen fieri potest, ut non ad gravem culpam imputetur, quia vel *ipsa causa non fuit perfecte voluntaria (pars II),* vel *causalitas fuit tantum remota (pars III).*

Prob. pars II. 2^o *A majori vel minori gradu voluntarii in causa.* Siquidem tota libertas, quæ inest effectui, desumitur a libertate causa; porro a libertate pendent moralitas et imputabilitas (Propos. præc. pars II). Hinc effectus, quantumvis malus, ad levem dumtaxat culpam imputatur, quoties ipsa causa non perfecte voluntaria est.

Prob. pars III. 3^o *A nexu causali*; nimirum ex eo, utrum effectus malus ex causa sequatur per se, an per accidens, et si per se, utrum proxime an remote. Etenim tota ratio voluntarii indirecti desumitur ex causa; ex quo sequitur effectum plus minusve voluntarium, adeoque et imputabilem esse, prout causa proximius an remotius in ipsum influit. — Si igitur causa *proxime* influat in effectum *graviter* malum, gravis culpa est ponere causam. Hinc mortaliter mala in causa est pollutio secuta ex tactibus obscœnis, etsi non intendatur, nec ei ab agente consensus præstetur. — E contra si causa nonnisi *remote* influat in effectum *graviter* malum, *ordinarie* nonnisi venialiter malum erit ponere causam. Ita pollutio ex ebrietate secuta est tantum venialiter mala, si ebrietas tantum remote in pravum illum effectum influat.

Dicitur: *ordinarie nonnisi venialiter malum erit*; nam fieri potest, ut, sive ratione strictioris virtutis, præsertim justitiæ, sive ratione specialis obligationis ex officio, statu etc., *alicui incumbat obligatio gravis vitandi etiam causalitatem remotam.* Quare, si sermo sit de effectu, qui vergit *in grave damnum proximi*, adest *gravis* obligatio vitandi etiam causam, quæ nonnisi *remote* influit, si sine gravi tuo incommodo vitari possit. Hinc fieri potest, ut quis per ebrietatem se remote exponens pollutioni et homicidio, ratione prioris venialiter, ratione posterioris mortaliter peccet.

245. Coroll. Ex dictis colligitur causam mali effectus sub duplici respectu esse considerandam, scil. 1^o *materialiter*, seu independenter ab effectu malo; 2^o *formaliter*, seu *quatenus* est causa talis effectus. Et sane, causa potest habere *per se* aliquam malitiam, et

ratione effectus aliam malitiam superadditam. Ex mendacio jocosum causari potest grave damnum, ex ebrietate graviter mala oriri potest levis rixa. In casu mendacium est *in se* leviter malum, sed graviter malum *qua causa*; e contra ebrietas illa est *in se* graviter mala, et non nisi venialiter mala *qua causa*. Hinc effatum: *effectus, in causa dumtaxat voluntarius, non magis culpabilis est quam sua causa*, verum est, si intelligatur de causa *formaliter* spectata; siquidem malitia, quæ causæ *formaliter* spectatæ inhæret, præcise oritur ex eo, *quod est causa talis effectus mali*.

SECTIO V.

Quonam tempore contrahatur ab agente malitia effectus imputabilis.

246. PRÆNOT. I. Nomine *effectus* hic intelligimus id, quod, cessante actu, *postea* ex eo sequitur, v. g. mors inimici ex porrectione veneni post mensem secuta, pollutio nocturna in somno per obscœnam lectionem diurnam causata. Quæstio autem respicit *quemcumque* effectum malum imputabilem, sive directe, sive indirecte voluntarius est.

II. Porro circa talem effectum quæritur: 1^o *Utrum ejus malitia imputetur agenti eo tempore, quo causam ponat*; 2^o *utrum etiam imputetur eo tempore, quo actu sequatur*.

PROPOSITIO I.

Tempore, quo libere causa ponitur, tota malitia effectus in conscientia contrahitur, et quidem eo gradu, quo fuit præcognitus, sive ille effectus postea revera sequitur, sive non sequitur.

247. Prænot. Dicitur: *in conscientia*, i. e. coram Deo; siquidem in foro *externo* et coram hominibus effectus malus non imputatur, nisi revera fuerit secutus. Hinc ad incurrendas *pœnas* a lege humana contra auctores nonnullorum criminum statutas, regulariter loquendo, requiritur effectus *revera secutus*; et diversa pœna plecti solet crimen *tentatum* et crimen *consummatum*. ¹⁾

248. Prob. pars I. *Tempore, quo libera causa ponitur, tota malitia contrahitur.* Omnis enim culpa in *libera voluntate* residet. Atqui voluntas libere ponens aliquam causam, in qua malus effectus continetur, eo ipso, si non directe, saltem indirecte vult malum effectum illum. Unde ebriosus, qui in ebrietate blasphemare solet, sese inebriando, vel etiam sola voluntate sese inebriandi, totum reatum illarum blasphemiarum contrahit.

Prob. pars II. *Eo gradu, quo fuit præcognitus.* Siquidem malitia peccati non ex effectu externo, sed ex *prævia cognitione* mensuram accipit. Cum enim tota culpa resideat in voluntate, cumque hæc ipsa voluntas pendeat ex *prævia cognitione*, hinc gradus malitiæ in effectu ex hac *prævia cognitione* mensuratur. Unde si ebriosus nonnisi leviolem rixam prævidere potuerit, sese inebri-

¹⁾ Ita v. g. in Constit. *Apostolicæ Sedis* ad excommunicationem incurrendam requiritur procuratio abortus, *effectu secuto*.

ando nonnisi levioris rixæ reatum contraxit, etsi per accidens gravis rixa ex illa ebrietate fuerit secuta.

Prob. pars III. *Sive effectus postea revera sequitur, sive non.* Cum tota malitia effectus in positione causæ jam fuerit contracta (*pars I*), hæc malitia neque augeri, neque minui potest ex eo, quod revera sequitur vel non sequitur effectus; *hoc enim nihil influit in malam voluntatem, quæ jam præcessit.* Hinc duo sacerdotes, qui in ordine ad suum munus exercendum eadem culpabili ignorantia laborant, coram Deo æqualem reatum incurrunr, etsi unus ex illa ignorantia pravum consilium dederit, alter vero, deficiente occasione, a tali consilio dando abstinuerit.

PROPOSITIO II.

Malitia effectus mali secuturi non amplius imputatur a tempore, quo agens suam malam voluntatem sincere et, pro posse, efficaciter retractat.

249. Prænot. Dicitur: *malitia* non amplius imputatur. Siquidem in casu, quo causalitas externa a voluntate *effective* auferri nequit, effectus inalus revera secutus *sub alio respectu* adhuc imputabilis esse potest. Si quis v. g. culpabiliter dederit malum consilium in damnum tertii, quantumvis ipsum hujus consilii pœniteat, et damnum secutorum ipsi non amplius ad *culpam* imputetur, non tamen effugit obligationem illud *damnum secutum resarciendi*, quando influxum consilii sui efficaciter tollere nequit. Ratio est, quia illud *damnum* revera est effectus causæ libere positæ, et injuria effectiva proximo illata non reparatur per *solam pœnitentiam* quantumvis sinceram.

250. Prob. Imputabilitas fundatur in *libertate*, adeoque et imputabilitas mali effectus fundatur in libera voluntate, quæ posuit causam. Atqui in casu sinceræ retractationis non permanet, sed *aufertur voluntas illa*. Ergo relate ad voluntatem *præsentem* effectus malus non amplius voluntarius, et consequenter non amplius imputabilis est.

251. Quæstio: *Utrum effectus malus imputetur ipso momento quo producatur, si nondum per pœnitentiam fuerit retractatus.*

Pro solutione hujus intricatæ quæstionis distinguas inter effectum, qui ab eo, qui causam posuit, *adhuc impediri potest*, et inter effectum, qui *non amplius impediri potest*.

I. *Effectus qui, eo tempore quo producitur, impediri potest*, et tamen advertenter non impeditur, non solum malus et imputabilis est in positione causæ, sed præterea in *omissione remotionis*, adeoque vel habet *duplicem* formalem malitiam, unam jam antecederet in positione causæ ab agente contractam (Conf. *Prop. I*), alteram, quæ ipso momento supervenientis effectus contrahitur; vel saltem habet malitiam *antecedenter contractam et actualiter continuatam*.

II. *Quoad effectum, qui, tempore quo producitur, non amplius impediri potest*, non consentiunt auctores.

Prima sententia docet talem effectum *in se* non esse nisi *materiale peccatum*, ¹⁾ adeoque non in culpam imputari eo temporis momento quo revera sequatur. Ra-

¹⁾ Ita docent Vasquez, In 1. 2. Disp. 94, cap. 2 et 3; De Lugo, *De penit.* Disp. 16, sect. 9; Layman, *De act. hum.* cap. 3, N. 5; Ballerini, *De peccatis*, N. 48; Bouquillon, N. 376.

tio est, quia aliquis actus tamdiu malitiæ moralis capax est, quamdiu liber est; effectus autem in hypothesis non amplius est liber. Nihil autem refert, utrum voluntas retractetur, an non retractetur; nam „negatio retractionis non facit voluntatem magis nunc influere in effectum, nec retractatio facit voluntatem minus influere; totus enim influxus ex parte voluntatis est *posuisse* causam, quam jam nunc tollere non potest.”¹⁾

Attamen illum effectum hic et nunc *approbare* constitueret *volitionem* formaliter malam.

Altera sententia docet talem effectum esse peccatum formale *in se*, quamvis non *a se* sed a causa libere posita, adeoque in culpam imputari etiam eo tempore quo revera sequatur.²⁾

252. Scholium. Quoniam vero juxta omnes habetur peccatum formale in causa, et reatus coram Deo non augetur per realem talis effectûs subsecutionem, optime Suarez: „Quæstio videri potest de nomine, an actus illi exteriores vel omissiones, quæ in somno, ebrietate, aut cum alio impedimento usus rationis et libertatis fiunt, denominandi sint peccata, a causa libera, quæ præcessit. Nam licet hoc modo vocentur peccata, parum refert, dummodo constet ipsa in se non afferre novam malitiam nec novum demeritum coram Deo.”³⁾

¹⁾ De Lugo, l. c. N. 446. — ²⁾ Ita Salmantic. Tract. 20, cap. 10, punct. 3; Billuart, *De pecc.* Diss. 1, n. 4, § III; S. Alphons. lib. 5, N. 149; Aertnajs, *De actib. hum.* N. 10. — ³⁾ *De juram.* lib. 3, cap. 7 (De Relig. tom. II).



§ II.

**De merito ac demerito actuum moralium, necnon
de præmio ac pœna.**

253. Prænot. Actus humani seu *liberi*, ut § I explicavimus, *imputantur* agenti, et quidem in *laudem* vel *culpam*, prout sunt conformes vel difformes *moralitatis regulis*. — Porro iidem actus imputantur in *meritum* vel *demeritum*, prout vergunt in *profectum* vel *nocumentum alterius*. — Meritum autem et demeritum in abstracto nihil aliud sunt nisi ^{ad fructu rectitudinis legal.} exigentia retributionis con-
gruæ; retributio debita merito dicitur præmium, retributio debita demerito vocatur pœna. Hinc Sectiones duæ, una de merito ac demerito, altera de præmio ac pœna.

SECTIO I.

De merito ac demerito.

254. Prænot. Circa meritum ac demeritum quaeritur: 1^o *In quo consistat*; 2^o *quodnam sit utriusque fundamentum*; 3^o *quomodo dividatur*; 4^o *quænam sint utriusque conditiones*; 5^o *utrum actus humani revera meritorii ac demeritorii sint tum apud homines, tum apud Deum*.

255. Notio meriti et demeriti. „Meritum et demeritum dicuntur in ordine ad retributionem, quæ fit secundum justitiam. Retributio autem secundum justitiam fit alicui ex eo, quod agit in profectum vel nocumentum alterius.” ^{de auct. lib. de benedict. q. 1. § 1. de reprob. q. 1. § 1. de reprob. q. 1. § 1. de reprob. q. 1. § 1.} 1) — Meritum igitur vel demeritum est quoddam *jus ad præmium* vel quoddam *debitum ad pœnam*, quod actibus humanis seu *liberis* inest ob

1) 1. 2. q. 21, a. 3.

emolumentum vel detrimentum per eos aliis illatum.

256. Fundamentum meriti et demeriti. Utriusque fundamentum est in objectivo ordine rerum, et quidem in ordine partium mundi moralis ad unum totum, et ratione hujus ad se invicem. Consistit autem hoc fundamentum in ordine debitæ proportionis, qui exigit ut mutationes quæ huic ordini sive per excessum (seu per merita), sive per defectum (seu demerita) accidunt, ad pristinam æqualitatem reducantur. Hoc autem fit per debitam compensationem seu retributionem, qua ille, qui alterius opera auctus est, alteri retribuit bonum æquivalens, vel saltem gratitudinis debitum; et qua vicissim ille, qui alterius opera detrimentum passus est, accipit debitam satisfactionem. ¹⁾ Et sane „in partibus universi unaquæque creatura est propter suum proprium actum et perfectionem,” ²⁾ et ideo omnis agens agendo in propriam suam perfectionem tendit; unde fit, ut ex naturalis ordinis exigentia actio, tamquam propriæ perfectionis medium, ad ipsum agentem pertineat. Quodsi agens actionem suam in commodum alterius dirigat, alter consequitur aliquam perfectionem, cujus non est principium activum, adeoque nec dominus naturalis; quum e contra ipse auctor illius actionis beneficæ in alterius emolumentum cedat propriæ perfectionis elementum. Hæc autem boni alieni acceptatio et boni proprii alienatio constituerent aliquam ordinis naturalis perturbationem, nisi ille, qui alterius opera auctus est, beneficium compensaret, saltem grati animi sensu.

257. Divisiones meriti. Meritum dividitur:

¹⁾ Vide Taparelli, lib. 1, N. 130; Meijer, N. 203, seqq. — ²⁾ l. q. 65, a. 2.

A. In meritum *naturale* et *supernaturale*. Meritum *naturale* est illud, quod competit actibus humanis *naturaliter* honestis, adeoque *naturalibus* viribus comparatur et in *naturale* præmium tendit.

Meritum *supernaturale* est illud, quod non nisi viribus *supernaturalibus* seu *gratie elevantis* auxilio comparatur et in *supernaturale* præmium tendit. De hoc *supernaturali* merito agunt *Theologi*; nobis sermo est de solo merito naturali.

B. In meritum *de condigno* et *de congruo*. Meritum dicitur *de condigno*, quando exigentia retributionis est *aliquo modo ex justitia*. — Hoc meritum subdividitur in meritum *de condigno ex rigore justitiæ*, quod habetur, quando ordo operis ad præmium *excludit omnem gratiam* personæ merenti a persona præmiante factam; — et in meritum *condignum ex condignitate*, quando ordo ad præmium talem gratiam subaudit.

Meritum est *de congruo* seu improprie dictum, quando exigentia retributionis est solummodo *ex decentia et liberalitate* præmiantis. ¹⁾ Miles strenue pugnans *debitum stipendium* meretur de condigno, sed præterea de congruo *speciale præmium* mereri potest.

258. Conditiones meriti condigni. 1^o Opus sit *liberum*; meritum siquidem supponit *immutabilitatem*; hæc autem pendet a *libertate*. — 2^o Opus sit *moraliter bonum*; actui malo debetur *pœna*, non præmium. Hac conditione meritum *morale* differt a merito *physico*, quod actioni competit sine formali respectu ad bonitatem moralem. Operarius conductus meretur mercedem independentem ab operis bonitate morali. — 3^o O.

¹⁾ In *II Sent.* Dist. 27, q. 1, a. 3.

pus *alteri afferat emolumentum*; nemo enim rationabiliter præmium exigere potest ab illo, cui nil boni contulit. — 4^o Opus alteri *ne sit debitum ex mercede jam pacta et recepta*; siquidem tale opus nullam inducit proportionis inæqualitatem sed *inæqualitatem complet*. — Nihilominus tamen tale opus potest esse meritorium quoad aliquod præmium *accidentale*, ratione modi, ut si exerceatur peculiari diligentia etc.; hinc præter *pactam mercedem* famulis dari solet præmium *supererogatorium*. Merito tamen non obstat obligatio *quæcumque*, sed sola hæc *obligatio justitiæ, recepta mercede*. — 5^o Opus explicite vel saltem implicite *ab altero ad præmium acceptetur*; nemo enim privata alterius voluntate sine proprio consensu vel auctoritate legis *obligari* potest. Non requiritur tamen acceptatio seu promissio *formalis* et *explicita*, sed sufficit *virtualis* et *implicita*, quæ adert, quotiescumque *lex* individuum vel societatem obligat ad præmium retribuendum. ¹⁾ — Acceptatione seu promissione ad præmium deficiente, meritum non est nisi *de congruo* seu improprie dictum.

Conditiones demeriti. Ad demerendum sufficit, ut actus sit 1^o *liber*, 2^o *moraliter malus*, 3^o *alteri nocivus*.

PROPOSITIO I.

In actibus humanis reperitur ratio meriti et demeriti apud alios homines, tum quatenus spectantur ut personæ individuae, tum quatenus spectantur ut societatem efformantes.

259. Prob. pars I. Ratio meriti. Dubitari nequit

¹⁾ Suarez, *De gratia*, lib. 12, cap. 18, N. 12, *De Incarnat.* q. 1, a. 2, Disp. 4, s. 5.

hominem, quacumque obligatione ex pacta *ac jam recepta mercede* seclusa, *libere* ponere posse actum *moraliter bonum*, qui *in emolumentum* vergit *alterius* individui vel etiam societatis. — Atqui in casu, si non præmii promissio *explicita*, at certe *implicita* ex parte individui vel societatis aderit. Et sane in casu ratio ordinis et debitæ proportionis inter agentia rationalia exigit, ut retribuatur bonum pro bono, saltem grati animi sensus (N. 256). Ergo.

Prob. pars II. Ratio demeriti. Siquidem homo *libere* ponere potest actum *moraliter malum*, qui *alteri* individuo, vel etiam societati, infert *nocumentum*. — Atqui ratio ordinis et debitæ proportionis in casu exigit, ut ille, qui damnum intulit, luat proportionatam pœnam, nempe ut ei tantumdem dematur boni, quantum ipse alteri individuo vel societati abstulit. Ergo. ¹⁾

Ut tamen retributio pœnæ *ordinate* fiat, non ipsum individuum, cui nocumentum est illatum, per se et ar-

¹⁾ Observat S. Thomas actum proficuum vel nocivum *singulari personæ* redundare in *totam societatem*; et vicissim. Inde concludit: «Cam ergo aliquis agit in bonum vel malum alterius singularis personæ, cadit ibi *dupliciter* ratio meriti vel demeriti: *uno modo*, secundum quod debetur ei retributio a singulari persona, quam juvat vel offendit; *alio modo*, secundum quod debetur ei retributio a toto collegio. — Quando vero aliquis ordinat actum suum *directe* in bonum vel malum totius collegii, debetur ei retributio primo quidem et principaliter a toto collegio, secundario vero ab omnibus collegii partibus.» — Quinimo, «cum aliquis agit quod in bonum propriam vel malum vergit, etiam debetur ei retributio, in quantum etiam hoc vergit in commune, secundum quod ipse est pars collegii; licet non debeat ei retributio, in quantum est bonum vel malum singularis personæ, quæ est eadem agenti, nisi forte a seipso, secundum quamdam similitudinem, prout est justitia hominis ad seipsum.» l. 2. q. 21, a. 3. — Præterea notetur, meritum *respectu societatis* plerumque compensari per commoda, quæ ex societate bene ordinata in singula membra redundant. Secus vero judicandum foret, si quispiam *peculiari quadam ratione* bonum sociale procuraret; tum siquidem peculiari quoque modo illud meritum compensandum esset.

bitrio suo malum pro malo inferat; nam „præmiare potest ad quemlibet pertinere, sed *punire non pertinet nisi ad ministrum legis, cujus auctoritate pœna inferitur.*” ¹⁾

PROPOSITIO II.

In actibus humanis reperitur ratio meriti et demeriti etiam apud Deum.

260. **Prob. pars I. Ratio meriti.** 1^o Homo etiam apud Deum meretur, si actus moraliter boni habent omnes conditiones meriti condigni (N. 258). Atqui habent omnes conditiones, quæ requiruntur tum ex parte hominis operantis, tum ex parte Dei remunerantis. Ergo.

*Postea ad am. p. 258
Hic aliter esse debet
non v. b. b. d. e.
Hic v. b. b. d. e. n. n.
Hic v. b. b. d. e. n. n.
Hic v. b. b. d. e. n. n.
Hic v. b. b. d. e. n. n.*

Prob. Min. pars I. Ex parte hominis operantis. Quamvis homo moraliter obligetur ad servandum ordinem moralem, tamen „libertas... hanc tribuit homini dignitatem ut sit *in manu consilii sui*, obtineatque actionum suarum potestatem.” ²⁾ Itaque homo, *libere servans ordinem moralem, quasi aliquid quod suum est, et sæpe cum magno sui incommodo, confert ad externam Dei gloriam, quin ad hoc teneatur mercede jam recepta.*

Prob. Min. pars II. Ex parte Dei. Quamvis homo nihil habeat, quod non a Deo acceperit, adeoque nihil Deo reddere possit, quod non Dei sit, Deus tamen non *omnia bona stricte præcipit.* Quinimo ne bona præcepta quidem exigit *solo titulo supremi dominii*, sed simul *promissa mercede.* Siquidem promissio divina intimatur per rationem naturalem, quæ luculenter ostendit vitæ moraliter bonæ perfectam alterius vitæ beatitudinem

¹⁾ l. 2. q. 92, a. 2, ad 3. — ²⁾ Leon. XIII Encycl. *Libertas*, initio.

ut præmium esse responsuram (N. 22, seqq.).¹⁾

X **Prob. pars I.** 2^o Præterea homo libere operari potest in commodum totius universi, in primis vero *societatis humane*. Atqui „ille, qui regit communitatem, præcipue habet curam boni communis; unde ad eum pertinet retribuere pro his, quæ bene vel male fiunt in communitate. Est autem Deus gubernator et rector totius universi, et specialiter rationalium creaturarum.”²⁾ Ergo.

Prob. pars II. *Ratio demeriti*. Qui libere violat ordinem moralem, eo ipso adversatur Deo præcipienti hujus ordinis conservationem, denegat Deo honorem debitum, et, quantum est in se, aliquid Deo subtrahit.³⁾ Ergo.

261. Nota pro solvendis difficultatibus.

1^o Quamvis nullus actus humanus vergere possit in Dei emolumentum vel damnum, si spectetur bonum Dei *intrinsicum*, vergit tamen in emolumentum vel damnum quoad bonum Dei *extrinsecum*, i. e. externam Dei gloriam et ordinem ab Ipso institutum.

2^o Homo omnia quidem a Deo accepit, nihilque Deo præstare potest quod pleno jure non Dei sit; inde tamen non corrumpit meritum *quodcumque* (*Prop. II. Prob. pars I, 1^o*), sed solum meritum *ex rigore justitiæ*, quod importat mutuam terminorum independentiam (N. 257, B).

3^o „Quia actio nostra non habet rationem meriti nisi *ex præsuppositione divinæ ordinationis*, non sequitur quod

¹⁾ Attamen actus naturaliter tantum honestus non conducit ad finem *supernaturalem*, qui in præsentis ordine *revera* est finis creaturæ rationalis (N. 47). — Huic fini soli actus *supernaturales* sunt proportionati. Vide *S. Theol.* —
²⁾ 1. 2. q. 21, a. 4. — ³⁾ 1. 2. q. 21, a. 4, ad 1.

Deus efficiatur simpliciter *debitor nobis* (quod repugnet Enti infinite perfecto), sed *sibi ipsi*; in quantum debitum est, ut sua ordinatio impleatur." ¹⁾

Ex dictis consequitur hominem mereri et demereri posse tum apud alios homines, tum apud Deum. Porro meritum est quoddam jus ad *præmium*, demeritum est quoddam debitum ad *pœnam*. — Restat igitur, ut utriusque naturam ac finem breviter declarem.

SECTIO II.

De natura præmii ac pœnæ, deque fine quem ipsa spectant.

× 262. **Notio præmii et pœnæ.** — Nomine *præmii* intelligitur *aliquod bonum retribuendum vel retributum agenti pro actione moraliter meritoria*. — E contra *pœna* est „malum passionis, quod infligitur ob malum actionis,” ²⁾ seu *aliquod malum physicum a legitima auctoritate infligendum, vel infictum agenti, pro actione moraliter demeritoria*.

263. **Quisnam sit finis præmiorum.** Præmia ab auctoritate publica *præstituuntur*, ut ordini morali servando provideatur; *retribuuntur* vero, ut satisfiat exigentiæ ordinis, i. e. ut ad pristinam æqualitatem reducatur ordo debitæ proportionis in mundo morali (N. 256).

× 264. **Quisnam sit finis pœnarum.** Pœnas ab auctoritate publica *præstitui*, ut horrore mali physici ordini morali servando provideatur, facile constat. — Est maxime controversia circa pœnarum *inflictionem*, actione

¹⁾ 1. 2. q. 114, a. 1, ad 3. — ²⁾ Grotius, *De jure belli ac pacis*, lib. 2, cap. 10.

mala *jam posita*. Ut statum quæstionis intelligas, observa: 1^o pœnas hic sumi, quatenus infliguntur ab auctoritate *publica*, sive divina sive civili; 1) — 2^o peccatum *quodcumque*, etiam mere internum, lædere ordinem *moralem simpliciter*, adeoque subjacere pœnali justitiæ *divinæ*; e contra sola delicta seu facta *externe consummata* vel *attemptata*, quæ lædunt ordinem *moralem sociale*m, cujus custodia auctoritati civili divinitus est commissa, subjacere pœnali justitiæ *civili*. Hisce positis, proponemus diversas sententias.

X 265. I. **Sententiæ erroneæ.** Errores, qui spectant finem pœnarum, reduci possunt ad systema *absolutum* et systemata *relativa*.

A. *Systema absolutum.* — Docet Kant 2) legem pœnalem esse imperium categoricum, *excludens quemcumque utilitatis respectum*. — Hanc sententiam esse erroneam ex eo patet, quod pœna consistit in aliquo *malo*. — Atqui infligere malum præcise propter malum, non vero intuitu alicujus boni, contra rationem est. — Ergo pœna non est *finis in se*, sed ordinari debet in alium finem honestum.

B. *Systemata relativa* erronea totum pœnarum finem reponunt in *utilitate sociali*, rejecta quacumque pœnarum ratione *expiatoria*, qua præterea per justitiam vindicativam statuatur *congrua retributio pro culpa*. 3)

1) Pœnæ inflictæ ab auctoritate *privata*, quæ tantum respicit honum personæ individuae, qualis est auctoritas paterna, primarie intendunt emendationem delinquentis. — Pœnæ *ecclesiastica* non pertinent ad Philosophiam, sed ad Jus canonicum. Vide De Brabandere, *Jur. can. comp.* N. 1368, seqq. —

2) *Rechtslehre*. — 3) Inter nostrates G. A. Van Hamel contendit pœnarum ideam expiatoriam nihil aliud spirare nisi *sensualitatem antiquæ vindictæ*. De Gids, Febr. 1891. *De tegenwoordige beweging op het gebied van het strafrecht*.

Huc pertinet: a) opinio eorum, qui cum *Romagnosi* docent pœnam non directe spectare delictum puniendum, sed alios homines, quos deterreat, ne simile delictum committant; — b) sententia eorum, qui cum *Bentham* opinantur pœnam esse medium, quo societas a membris suis præstari curet quod sibi utile sit, nullo respectu habito ad intrinsicam delictorum pravitatem; — c) *moderna Schola anthropologica*, duce Cæsare Lombroso, et duobus criminalistis Garofalo et Ferri. Ista Schola negat liberum arbitrium et malefactores considerat ut *ægrotos* vel *amentes*, ut elementa corpori sociali non accommodata sed nociva, quæ, quæcumque morali responsabilitate seclusa, *a societate debent eliminari*. In hoc autem totus pœnarum finis consistit. ¹⁾

II. *Sententia vera* duplicem pœnarum finem distinguit, unum *primarium* et *essentialem*, alterum *secundarium*. — Finis primarius est *restauratio ordinis violati* seu admissi criminis expiatio per applicationem pœnæ delicto proportionatam. ²⁾ Attamen pœnæ secundarie sunt *medicinales* et *exemplares*, quatenus inserviunt ad emendationem delinquentis et exemplo sunt cæteris, qui aliorum experientia discant, si non amore virtutis, timore saltem mali physici a delictis abstinere. — Sive autem isti fines secundarii pœnarum inflictione obtineri possint, sive non, pœnam *expiatoriam* absolute exigit ordo violatus; siquidem delictum impunitum est *deordinatio permanens*, quæ ab ordinis custode auferri debet.

Et sane 1^o secundum rerum naturam est, ut operatio recta ad felicitatem ducat, ut felicitas ordinis observationi sit conjuncta; repugnat vero rerum naturæ, ut eadem sit sors eorum, qui, lege contempta, ordinem

¹⁾ Quoad hanc Scholam plura vide apud Isidore Maus, *De la justice pénale*, Paris, Félix Alcan, 1891, Introduction; *Études religieuses*, XLVII, *Le criminel*, pag. 202. — ²⁾ "Si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est (princeps): vindex in iram ei, qui malum agit." *Rom.* XIII, 4.

violant. Igitur auctoritas debet delinquentibus eam felicitatem auferre, qua fruuntur cæteri; hoc autem fit per inflictionem pœnæ proportionatæ. — 2^o „In hominibus hoc ex naturali inclinatione invenitur, ut unusquisque deprimat eum, qui contra ipsum insurgit. Manifestum est autem quod quæcumque continentur sub aliquo ordine, sunt quodammodo unum in ordine ad principium ordinis: unde quidquid contra ordinem aliquem insurgit, consequens est, ut ab eo ordine et principe ordinis deprimatur; quæ quidem depressio pœna est.”¹⁾ — 3^o Sensus communis clamat virtutem natura sua præmio dignam esse, et vitium pœna. — Inde conscientia publicæ *satisfactio*, quoties atrociora præsertim crimina condignis afficiuntur pœnis; et ejusdem conscientia *indignatio*, quoties istiusmodi crimina pœnas condignas effugiunt.²⁾

Caput IV.

De virtutibus et vitiis.

266. Prænot. Ad principia intrinseca actuum moralium revocantur *habitus*, quibus potentia *rationales* complentur in ordine ad actus suos. Siquidem potentia istæ, cum non sint determinatæ ad unum, per dispositiones superadditas ad actus morales, sive bonos sive malos, inflectuntur.³⁾ — Ne igitur nimis incompletus sit sermo de actibus moralibus, nonnulla scitu magis necessaria de habitibus tum *bonis* tum *malis* delibabi-

¹⁾ I. 2. q. 87, a. 1. — ²⁾ Taparelli, *Droit naturel*, N. 806, seqq.; Meijer, N. 215, seqq.; Lucien Brun, *Introduction à l'étude du droit*, 2e édit. Paris, 1887, Neuv. confér. *Le droit de punir*; Maus, op. cit. chap. III, § 1. — ³⁾ I. 2. q. 50, a. 5.

mus. Hinc duo Articuli: unus de habitibus bonis seu de *virtutibus*, alter de habitibus malis seu de *vitiis*.

ARTICULUS I.

De virtutibus.

267. Prænot. Ampliorem de virtutibus tractationem *Theologicæ* relinquentes, pauca dumtaxat ex principiis philosophicis explicabimus: 1^o *De virtute generatim accepta*; 2^o *de virtutibus moralibus pariter generatim acceptis*; 3^o *de quatuor virtutibus cardinalibus in specie*.

§ I.

De virtutibus generatim.

268. Prænot. Circa virtutes generatim acceptas quæritur: 1^o *Quid sit virtus*; 2^o *quomodo virtutes dividantur in intellectuales et morales*.

SECTIO I.

Quid sit virtus generatim accepta.

269. Notio virtutis. Virtus generatim significat quamcumque *potentiam* vel potentiae *perfectionem*. ¹⁾ Hic autem per virtutem intelligimus perfectionem superadditam potentiis *rationalibus*, qua fit, ut earum actus uniformiter, faciliter et delectabiliter exerantur.

270. Definitio virtutis. Aliis definitionibus prætermisiss, ²⁾ præferenda videtur definitio, quam juxta

¹⁾ *De virt. in communi*, q. 1, a. 1. — ²⁾ Conf. Arist. *II Ethic.* cap. 6; Suarez, *De virtutib.* sect. 1.

mentem S. Augustini ¹⁾ tradidit Angelicus: „*Bona qualitas, seu bonus habitus mentis, quo recte vivitur, et quo nullus male utitur.*” ²⁾

Explicatur definitio. Dicitur 1^o *habitus*; quo denotatur *genus proximum*; virtus siquidem non est quædam dispositio facile amovibilis, sed qualitas *per se stabilis*, quæ *habitus* dicitur. Est autem habitus non *entitativus*, sed *operativus*, nam „virtus humana non importat ordinem ad *esse*, sed magis ad *agere.*” ³⁾ Dicitur 2^o *habitus bonus*; quo denotatur ejus *differentia*. Dicitur 3^o *mentis*; quo assignatur ejus *subjectum*; virtus nimirum subiectatur in *potentiis* animæ, et quidem in *potentiis rationalibus*, i. e. in intellectu, voluntate et appetitu sensitivo, prout natus est obedire rationi. Dicitur 4^o *quo recte vivitur, et quo nullus male utitur*: „habituum operativorum aliqui sunt *semper ad malum*, sicut habitus vitiosi; aliqui vero *quandoque ad bonum*, et *quandoque ad malum*; sicut opinio se habet ad verum et falsum. Virtus autem est habitus *semper se habens ad bonum*. Et ideo ut discernatur virtus ab his, quæ semper se habent ad malum, dicitur: *qua recte vivitur*; ut autem discernatur ab his, quæ se habent quandoque ab bonum, quandoque ad malum, dicitur: *qua nullus male utitur.*” ⁴⁾ Itaque virtus nequit esse *principium* actus mali; potest tamen esse *objectum* actus mali; ut si quis de sua virtute superbiret.

¹⁾ *De lib. arbitr.* lib. 2, cap. 19. — ²⁾ 1. 2. q. 55, a. 4. — ³⁾ 1. 2. q. 55, a. 2. — ⁴⁾ 1. 2. q. 55, a. 4.

SECTIO II.

Quomodo virtutes dividantur in intellectuales et morales.

271. Virtutes intellectuales et morales. Cum duplex sit actuum humanorum principium, scil. *intellectus* et *appetitus*, „omnis virtus humana oportet quod sit perfectiva alicujus istorum principiorum. Si quidem igitur sit perfectiva intellectus speculativi vel practici ad bonum hominis actum, erit virtus *intellectualis*. Si autem sit perfectiva appetitivæ partis, erit virtus *moralis*. Unde relinquitur, quod omnis virtus humana vel est intellectualis vel moralis.” ¹⁾

272. A. Virtutes intellectuales. Istæ virtutes sunt *habitus boni intellectum perficientes ad verum infalibilibiter cognoscendum*. Numerantur quinque, scil. *intelligentia*, *sapientia*, et *scientia*, quæ pertinent ad intellectum speculativum; necnon *ars* et *prudentia*, quæ pertinent ad intellectum practicum. ²⁾

a) *Intelligentia* versatur circa *prima principia*, quæ sunt per se nota. Habitus primorum principiorum *speculabilium* nomen *intelligentiæ* retinet; habitus vero primorum principiorum *practicorum* dicitur *synderesis*. Porro duo isti habitus continent semina omnium scientiarum et omnium virtutum.

b) *Scientia* versatur circa *conclusiones* ex principiis per se notis evidenter deductas.

c) *Sapientia* versatur circa *altissimas causas*, secundum quas tum de primis principiis, tum de conclusionibus

¹⁾ 1. 2. q. 58, a. 3; Conf. ad 3. — ²⁾ 1. 2. q. 57, a. 2, 3, 4.

judicat. Quapropter sapientia sub se continet intelligentiam et scientiam, quemadmodum totum potentiale continet suas partes; habet enim perfectiori modo quidquid scientia et intelligentia complectuntur. ¹⁾ Sapientia ne confundatur cum *dono Spiritus Sⁱ ejusdem nominis.* ²⁾

d) *Ars* est recta ratio *factibilium*, seu habitus intellectum practicum disponens ad opera *artificialia*, sive *mechanica*, sive *liberalia.* ³⁾

e) *Prudentia* est recta ratio *agibilium.* ⁴⁾ Ista virtus, utpote perficiens intellectum practicum, „secundum *essentiam* suam est intellectualis virtus, sed secundum *materiam* convenit cum virtutibus moralibus.” ⁵⁾ Quare infra, ubi de virtutibus moralibus, de prudentia iterum sermo erit.

273. B. Virtutes morales. Istæ virtutes sunt *habitus boni perficientes appetitum ad honeste agendum.* Cum vero „vis appetitiva animæ est, quæ facit *uti* omnibus potentiis et habitibus,” ⁶⁾ hinc virtus moralis non solum dat *facultatem* bene agendi, quemadmodum in suo ordine etiam virtutes intellectuales, sed præterea efficit, ut homo „recte facultate *utatur*, sicut justitia non solum facit, quod homo sit *promptæ voluntatis* ad justa operandum; sed etiam facit, quod juste *operetur.*” ⁷⁾

274. Virtutes intellectuales sunt virtutes non simpliciter, sed secundum quid. Quoniam vero virtutes intellectuales tribuunt tantum facultatem bene

¹⁾ l. 2. q. 57, a. 2. — ²⁾ l. 2. q. 68, a. 5, ad 1. — ³⁾ l. 2. q. 57, a. 3. — ⁴⁾ l. c. a. 4. „Differt autem *facere* et *agere*: quia factio est actus transiens in *exteriores materiam*, sicut ædificare; agere autem est actus permanens in *ipso agente*, sicut videre, velle.” l. c. — ⁵⁾ l. 2. q. 58, a. 3, ad 1. — ⁶⁾ l. 2. q. 57, a. 1. — ⁷⁾ l. 2. q. 56, a. 3.

operandi in suo genere, non vero *ipsum actum moraliter bonum*, et hominem non reddunt simpliciter bonum, sed tantum *secundum quid*, v. g. bonum philosophum; ideo virtutes intellectuales non dicuntur virtutes *simpliciter*, sed *secundum quid*, quia nomen virtutis primario impositum est ad significandum principium *rectitudinis moralis*.

At vero, si intellectus, tam speculativus quam practicus, consideretur *ut motus a voluntate*, cujus est alias potentias ad suos actus movere (N. 64, A), quæque totius boni moralis principium est, tunc quidem in intellectu possunt esse virtutes *simpliciter*, et hoc modo prudentia est in intellectu practico. ¹⁾

§ II.

De virtutibus moralibus generatim.

275. Prænot. Circa virtutes morales generatim acceptas quæritur: 1^o *Quænam sit virtutum moralium causa*; 2^o *quænam sint præcipuæ proprietates*; 3^o *quænam sit earundem necessitas*; 4^o *quomodo virtutes morales dividantur in quatuor cardinales*; 5^o *quænam sit habitudo inter virtutes naturales et supernaturales.*

SECTIO I.

Quænam sit causa virtutum moralium.

276. Prænot. I. Habitus sunt vel *naturales* seu natura insiti, qualis est habitus primorum principiorum; vel *acquisiti* frequentatione eorundem actuum, ut v. g. artes; vel *supernaturaliter infusi*, idque *per se* vel *per*

¹⁾ l. c.

accidens. Habitus infusi *per se* sunt illi, qui naturales vires prorsus excedunt, quales sunt v. g. virtutes theologicæ; habitus infusi *per accidens* sunt illi, qui a Deo immediate infunduntur, etsi ex actuum iteratione acquiri potuissent; quo modo Deus posset alicui infundere scientiam alicujus linguæ. ¹⁾

II. *Virtutes supernaturales infunduntur* in justificatione simul cum gratia sanctificante. „Gratia secundum se considerata perficit *essentiam* animæ, in quantum participat quamdam *similitudinem divini Esse*; et sicut ab *essentia* animæ fluunt ejus *potentiæ*, ita a gratia fluunt quædam perfectiones ad *potentias* animæ, quæ dicuntur virtutes et dona, quibus *potentiæ* perficiuntur in ordine ad suos actus.” ²⁾ De illis virtutibus supernaturalibus agunt *Theologi*; nobis hic sermo restringitur ad virtutes naturales.

PROPOSITIO.

Virtutum moralium initium est a natura; non vero earundem perfectio, quæ non nisi actuum frequentatione acquiritur.

277. **Prob. pars I.** *Initium est a natura.* Etenim intellectus naturaliter inclinatur ad *verum*, voluntas vero ad *bonum* ratione cognitum. — Præterea *experientia* constat quoad singula individua humana, quod ex corporis complexione diversaque dispositione *potentiarum* quidam proni sint ad fortitudinem, alii ad temperantiam etc., et hinc merito aiebat Tullius, quod *seminaria* virtutum sunt naturalia. ³⁾

¹⁾ 1. 2. q. 51, a. 4. — ²⁾ 3. q. 62, a. 2; Conf. 1. 2. q. 110, a. 4. — ³⁾ 1. 2. q. 63, a. 1; In *III Sent.* Dist. 33, q. 1, a. 2, sol. 1.

Prob. pars II. *Non vero earundem perfectio.* Quod enim est a natura, *determinatur ad unum.* Atqui perfectio, seu „consummatio hujusmodi virtutum non est secundum unum modum actionis, sed diversimode secundum diversas materias, in quibus virtutes operantur, et secundum diversas circumstantias.” ¹⁾ Præterea id, quod homini a natura inest, est omnibus *hominibus commune*, et non tollitur per peccatum. Atqui virtutes non sunt omnibus hominibus communes et tolluntur per peccatum frequentatum. ²⁾ Præclare Seneca: „Non dat natura virtutem; *ars est bonum fieri.* Virtus non contingit animo nisi instituto et edocto, et ad summum *assidua exercitatione* perducto. Ad hoc quidem, sed sine hoc nascimur, et in optimis quoque, antequam erudias, *virtutis materia* est, sed non virtus.” ³⁾

Prob. pars III. *Perfectio virtutis actuum frequentatione acquiritur.* Quodsi virtutes morales quoad earum perfectionem non habentur a natura, ipsarum perfectio vel per *infusionem*, vel per *acquisitionem* est explicanda. Atqui infusio non pertinet ad ordinem naturalem. Ergo virtutum origo, si ipsarum perfectionem spectes, intra naturæ limites non nisi per acquisitionem ex actuum frequentatione potest declarari. Et sane, ex consuetudine actus virtuosus, qui antea ægre et difficile exercebatur, tandem efficitur expeditus et delectabilis. Atqui delectatio operis signum est habitus generati. Ergo. ⁴⁾

Hinc patet eos errare, qui cum *Schopenhauer* docent virtutes et vitia esse *innata*; vel cum *Hegel* et *Schleiermacher* virtutes vocant *ingenii dotes*.

¹⁾ 1. 2. q. 63, a. 1. — ²⁾ In *III Sent.* Dist. 33, q. 1, a. 2. — ³⁾ *Epist.* 90. — ⁴⁾ In *III Sent.* l. c. sol. 2; *De virt.* a. 9.

278. Scholium. *Quomodo virtutes naturales amittuntur.* Quemadmodum virtus naturalis repetitis bonis actibus acquiritur, ita e contra bonorum actuum *cessatione*, necnon actibus *contrariis* potest imminui et corrumpi. Nimirum, „cum aliquis non utitur habitu virtutis ad moderandas passiones vel operationes proprias, necesse est quod proveniant multæ passiones et operationes, præter modum virtutis, ex inclinatione appetitus sensitivi et aliorum, quæ exterius movent: unde corrumpitur virtus vel diminuitur per cessationem ab actu”, 1) non quidem *directe*, sed *indirecte*. Directe autem corrumpitur et minuitur per actus contrarios, quibus generatur habitus vitiosus. „Vitium *directe* contrariatur virtuti, sicut et peccatum actui virtuoso; et ideo vitium excludit virtutem, sicut peccatum excludit actum virtutis.” 2)

SECTIO II.

De proprietatibus virtutum moralium.

279. Prænot. Inter virtutum moralium proprietates in primis numerantur earundem *mediocritas* et *connexio*, quas duplici Propos. vindicabimus.

280. Quid sit mediocritas. Hæc ne intelligatur ita, quasi virtus moralis de utroque extremo aliquid *participet*, sed ita, ut virtus ab utroque opposito vitio *recedere* debeat: quo sensu Horatius: „Virtus est medium vitiorum, et utrinque reductum.” 3) Ita liberalitas est media inter prodigalitatem seu excessum, et avaritiam seu defectum.

1) 1. 2. q. 53, a. 3. — 2) 1. 2. q. 71, a. 4, ad 2. — 3) Ep. 18 ad Lollium.

281. Quid sit connexio. Hæc proprietas respicit solas virtutes *perfectas*. Est autem *perfecta* virtus, qua homo, *quocumque eventu* occurrente, in proprio virtutis bono persistit. E contra virtus *imperfecta* est ea, quæ per modum mobilis dispositionis homini inest, ipsumque *non in quibuscumque eventibus* sibi subjicit. Virtutes imperfectas non esse inter se connexas facile patet; multi enim ex bona indole vel aliqua consuetudine proni sunt ad opera misericordiæ, quin tamen proni sint ad temperantiam etc. ¹⁾ Connexio igitur intelligatur de virtutibus *perfectis*, et quidem in ordine *naturali*. Quoad virtutum *supernaturalium* connexionem vide *S. Theologiam*.

PROPOSITIO I.

Omnis virtus moralis consistit in medio.

282. Prob. Virtus moralis hominem inclinât ad bonum determinatum a ratione, quæ est mensura et regula boni humani. Atqui bonum cujuslibet mensurati et regulati in eo est, quod suæ regulæ conformetur, non excedens eam, neque deficiens ab ea. Merito igitur Aristoteles: „Est igitur virtus habitus electivus in mediocritate quoad nos consistens.” ²⁾

283. Nota pro solvenda difficultate.

Quodsi nonnullæ virtutes videantur non consistere in medio, quia se extendunt ad *extrema*, ut v. g. fortitudo, quæ versatur circa maxima pericula, in promptu est responsum S. Thomæ: „Quod quædam attingunt ad maximum, pertinet in eis ad rationem medii,

¹⁾ I. 2. q. 65, a. 1. — ²⁾ *II Ethic.* cap. 6; I. 2. q. 64, a. 1.

in quantum maximum attingunt secundum regulam rationis; sicut fortis attingit maxima pericula secundum rationem, scil. quando debet, ut debet, et propter quod debet. Superfluum autem et diminutum accipitur non secundum *quantitatem rei*, sed *per comparisonem ad regulam rationis*; ut puta, superfluum esset, si, quando non debet, vel propter quod non debet, periculis se ingereret (v. g. in duello); diminutum autem, si se non ingereret, quando et qualiter deberet." ¹⁾

PROPOSITIO II.

Virtutes morales perfectæ ita sunt inter se connectæ, ut una sine altera haberi nequeat.

284. **Prob. I.** Virtus perfecta in quibuscumque etiam difficultatibus suos proprios actus constanter, facile et delectabiliter operatur. Atqui hoc fieri nequit sine aliarum virtutum consortio. Ergo.

Prob. Min. Actus proprius alicujus virtutis non solum per passiones huic virtuti *directe* oppositas impeditur, sed etiam per *alias quascumque*; ita actus castitatis non tantum per passionem libidinis, sed etiam per timorem, per pecuniæ cupidinem etc. impediri potest. Ad perfectam igitur castitatem necessarium est consortium fortitudinis, liberalitatis etc., ne quis timore percussus aurove allectus tentationi succumbat. ²⁾

Prob. II. Omnes virtutes morales a *prudentiali* dirigi debent, ne a medio rationis recedant. Atqui prudentia

¹⁾ *De virt.* a. 13, ad 5. Quod vero est ad virtutes *theologicas*, ipsæ non quidem *per se* et ex parte *objecti* in medio consistunt, sed tamen *per accidens* et ex parte *subjecti*, ut vide apud S. Thomam 1. 2. q. 64, a. 4. —

²⁾ *De virt. cardin.* a. 2, ad 4.

haberi nequit sine aliarum virtutum consortio. Et sane, rectum iudicium prudentiæ maxime pendet a *rectitudine appetitus*; unusquisque enim iudicat prout est affectus; porro appetitus rectificatur per virtutes morales. Ergo. ¹⁾

SECTIO III.

De necessitate virtutum moralium.

PROPOSITIO.

Homo ad perfecte operandum indiget virtutibus.

285. Prænot. Dicitur: ad *perfecte* operandum; siquidem potentia rationalis etiam absque habitu *absolute* potest facere actum moraliter bonum; ita avarus potest dare eleemosynam. Ut tamen potentia rationalis operetur *perfecte*, i. e. *constanter*, *prompte* et *delectabiliter*, habitus boni sunt necessarii.

286. Prob. „Habitibus virtutum ad tria indigemus. *Primo* ut sit *uniformitas* in operatione. Ea enim, quæ ex sola operatione dependent, facile immutantur, nisi secundum aliquam inclinationem habitualem fuerint stabilita. *Secundo* ut operatio perfecta *in promptu* habeatur. Nisi enim potentia rationalis per habitum aliquo modo inclinetur ad unum, oportebit semper, cum necesse fuerit operari, præcedere inquisitionem de operatione, sicut patet de eo, qui vult considerare nondum habens scientiæ habitum; et qui vult secundum virtutem agere habitu virtutis carens. Unde Philosophus dicit in *V Ethic.*, quod repentina sunt ab habitu. *Tertio* ut *delectabiliter* perfecta operatio compleatur, quod

¹⁾ I. 2. q. 65, a. 1.

quidem fit per habitum; qui cum sit per modum cujusdam naturæ, operationem sibi propriam *quasi naturalem* reddit, et per consequens delectabilem; nam convenientia est delectationis causa. Unde Philosophus in *II Ethic.* ponit signum habitus delectationem in opere existentem." ¹⁾

287. Coroll. Hinc patet quantopere erraverint Socrates et Plato, omnem virtutem moralem cum *scientia* confundentes. Iste error huic falso innixus erat supposito, omnia principia actuum humanorum *ad nutum obedire rationi absque ulla contradictione*; ex quo consequeretur ad honeste vivendum sufficere solas virtutes *intellectuales*. ²⁾ Multi recentiores, qui cum Pantheismo profiterentur *determinismum intellectualem*, in eundem errorem prolapsi, *scientiam religioni substituendam esse* clamitant.

SECTIO IV.

Quomodo virtutes morales dividantur in quatuor cardinales.

288. Sunt quatuor virtutes cardinales. Perulgata est virtutum moralium divisio in quatuor virtutes *cardinales*, quæ ita vocantur, quia super istas, quemadmodum super cardinem motus ostii, aliæ virtutes fundantur, atque in iis quodammodo vertitur tota vita moralis. ³⁾ Ad istas virtutes principales reducuntur reliquæ virtutes morales tamquam *secundariæ*.

289. Ratio hujus divisionis. Quaternarius iste numerus habetur tam ratione *subjecti*, quam ratione *objecti*.

¹⁾ *De virt.* a. 1. — ²⁾ l. 2. q. 58, a. 2. — ³⁾ In *III Sent.* Dist. 33, q. 2, a. 1.

a) *Ratione subjecti*: quadruplex est enim subjectum virtutis moralis; scil. rationale per *essentiam*, seu *intellectus*, quem perficit *prudentia*; rationale per *participationem*, quod dividitur in tria, scil. in *voluntatem*, quam ordinat *justitia*; in appetitum *sensitivum irascibilem*, quem moderatur *fortitudo*; et in appetitum *sensitivum concupiscibilem*, quem moderatur *temperantia*.

b) *Ratione objecti formalis*, quod est bonum rationis. Etenim bonum rationis considerari potest 1^o in ipso suo *fonte*, i. e. prout in consideratione rationis consistit, et ratio illud bonum eligendum decernit; quod præstat *prudentia*. — Bonum rationis considerari potest 2^o in quantum est circa *operationes*; quod pertinet ad *justitiam*; et 3^o in quantum est circa *passiones retrahentes ab eo*, quod ratio *dictat*; quas passiones moderatur *fortitudo*; demum 4^o in quantum est circa *passiones impellentes ad bonum rationi contrarium*; quas cohibet *temperantia*. ¹⁾

PROPOSITIO.

Virtutes cardinales sunt prudentia, justitia, fortitudo et temperantia.

290. PRÆNOT. I. Quatuor virtutes recensitæ sensu lato acceptæ significant *generales modos virtutum*; omnis quippe virtus importat *discretionem, voluntatis rectitudinem, animi firmitatem et moderationem*. At vero in *Propos.* illas virtutes consideramus ut virtutes *speciales*, habentes singulas suam specialem materiam. ²⁾

¹⁾ 1. 2. q. 61, a. 2. — ²⁾ 1. 2. q. 61, a. 3.

II. Ista virtutes non esse cardinales relate ad virtutes *theologicas*, explicant *Theologi*. ¹⁾

III. Ipsi philosophi gentiles passim recensitas virtutes tamquam principales habuerunt. Ita *Plato*, lib. 4. *De Republ.*, *Tullius*, *De Invent.* lib. 2, cap. 53. — Discrepantes Protestantium et recentiorum incredulorum opiniones recenset Müller, *Theol. Mor.* lib. 1, § 109.

291. Prob. Illæ virtutes merito dicuntur *cardinales*, quæ in singulis materiis præstant quod est *maximum* et *difficillimum*, ita ut reliquæ virtutes ipsis subjiciantur tamquam *secundariæ*. Atqui hoc munere funguntur quatuor virtutes recensitæ. Ergo.

Prob. Min. pars I. *Præstant maximum et difficillimum.* Et sane 1^o bonum in ipsa consideratione rationis consistens principaliter invenitur in *imperio*. Atqui actus iste maxime est *prudentiæ* proprius. 2^o Bonum autem, quod est in *operationibus* secundum rationem *debiti*, principaliter invenitur in *commutationibus* et *distributionibus*, quæ sunt ad alterum cum æqualitate. Atqui hoc pertinet ad *justitiam*. 3^o Bonum autem *firmitatis* ad standum in bono rationis contra passionum impetum, præcipue relucet in *periculis mortis*, circa quæ versatur *fortitudo*. 4^o Bonum denique *refrenandi* passiones in *delectationibus maximis*, quæ sunt delectationes *tactus*, pertinet ad *temperantiam*. ²⁾

Prob. Min. pars II. *Reliquæ virtutes ipsis subjiciuntur tamquam secundariæ.* Etenim 1^o vel perficiunt *rationem practicam* ad actus humanos dirigendos, ut v. g.

¹⁾ I. c. a. 1, ad 2. — ²⁾ I. 2. q. 61, a. 3; In *III Sent.* Dist. 33, q. 2, a. 1, sol. 4; *De virt. card.* a. 1.

eubulia, et tunc pertinent ad *prudenciam*. 2^o Vel inclinant ad *debitum* plus minusve strictum alteri reddendum, ut v. g. *pietas*, *gratitudo*, et tunc pertinent ad *justitiam*. 3^o Vel produunt animi *firmitatem* in rebus arduis, ut v. g. *patientia*, *magnanimitas*, *perseverantia*, et tunc referuntur ad *fortitudinem*. 4^o Vel important quamdam *moderationem* appetitus, ut *continentia*, *modestia*, et tunc reducuntur ad *temperantiam*.

292. Scholium. Porro reliquæ virtutes ad unam alteramve virtutem cardinalem reducuntur :

1^o Vel tamquam *partes subjectivæ*, in quas virtus cardinalis, sicut *genus in species* dividitur.

2^o Vel tamquam *partes integrales*, quæ virtutem cardinalem *adjuvant*, ut ejus operatio sit perfecta.

3^o Vel tamquam *partes potentiales*, quæ quidem in aliquo cum virtute cardinali *conveniunt*, sed tamen in alio a perfecta ratione ejus *deficiunt*. ¹⁾ Exempla vide infra, ubi de virtutibus cardinalibus in specie.

SECTIO V.

Quænam sit habitudo inter virtutes naturales et supernaturales.

293. Priusquam accedamus ad virtutes naturales in specie considerandas, non abs re erit hic pauca adnotare de habitudine, quæ inter virtutes naturales et supernaturales existit, quo melius utrarumque natura intelligatur.

I. Discrimen inter virtutes naturales et supernaturales est multiplex. Siquidem differunt :

¹⁾ 2. 2. q. 48.

A. *Ratione originis.* Virtus naturalis generatur actibus iteratis; virtus supernaturalis immediate a Deo infunditur.

B. *Ratione finis.* Finis virtutis naturalis per se non est nisi felicitas naturalis; finis virtutis supernaturalis est beatitudo supernaturalis consistens in visione essentialis divinæ.

C. *Ratione objecti formalis* seu motivi. Virtus naturalis operatur propter motivum naturale, secundum regulam rationis naturalis in ordine ad bonum naturæ; virtus supernaturalis operatur propter motivum supernaturale, secundum regulam fidei in ordine ad finem supernaturalem.

D. *Ratione objecti materialis.* Illud omne, quod est objectum virtutis naturalis, simul est objectum virtutis supernaturalis, nam gratia non destruit naturam, sed perficit; at virtus supernaturalis insuper plura alia, eaque incomparabiliter sublimiora ex *positiva* institutione divina complectitur.

E. *Ratione virium, quæ ad virtutis exercitium requiruntur.* Ad exercitium virtutis naturalis per se sufficiunt vires naturales naturæ rationalis; ad exercitium virtutis supernaturalis *absolute* necessarium est auxilium *gratiæ elevantis naturam.*

F. *Ratione meriti.* Homo justus per actum virtutis supernaturalis meretur augmentum gratiæ sanctificantis et gloriæ; cui merito prorsus impar est virtus naturalis.

294. II. Virtutes naturales non sufficiunt ad salutem. Quamvis autem virtutes naturales seu philosophicæ homini necessariae sint, ut in ordine naturali *perfecte* operetur (N. 285), in præsentī tamen ordine na-

turæ elevate ad finem supernaturalem istæ virtutes non sufficiunt ad finem ultimum consequendum. „Virtus illorum principiorum naturaliter inditorum non se extendit *ultra proportionem naturæ*; et ideo in ordine ad finem supernaturalem indiget homo perferri per alia principia superaddita.”¹⁾

Quinimo in ipso ordine supernaturali major est necessitas virtutum supernaturalium quam necessitas virtutum naturalium pro ordine naturali; virtutes enim naturales in suo ordine tribuunt solum *posse facilius*, nam homo habitu virtuoso destitutus *absolute* potest ponere actum naturaliter honestum; e contra virtutes supernaturales conferunt *posse simpliciter*, nisi Deus, ut Auctor gratiæ, vicem habitus suppleat.²⁾

295. III. Virtutes naturales adjuvant supernaturales. At vero, etsi virtutes supernaturales tribuant *facultatem* supernaturaliter operandi, *non tamen remouent impedimenta*, quibus undique obstruitur virtutis exercitium. E contra virtutes naturales iisdem difficultatibus non æque subjacent, nam per frequentationem actuum, ex qua ipsæ generantur, *remouentur dispositiones contrariæ*.³⁾ Hinc consequitur virtutes naturales seu acquisitas, *cum excludant vitia opposita*, indirecte adiuuare virtutum supernaturalium exercitium; quo major enim est virtus naturalis, eo magis extirpatur oppositum vitium, et consequenter eo minor obuiat difficultas sequendi gratiæ diuinæ appulsum.

296. Coroll. Ex iis, quæ de virtutibus supernaturalibus obiter secundum principia theologica diximus,

¹⁾ 1. 2. q. 63, a. 3, ad 3. — ²⁾ Suarez, *De gratia*, lib. 2, cap. 9, N. 3. — ³⁾ 1. 2. q. 65, a. 3, ad 2.

colligitur ea, quæ in philosophia ex *principiis rationis* circa virtutes statuuntur, esse quoddam *præambulum* ad scientiam theologicam. Ista enim, Ethicam naturalem perficiens, simul edocet, qua ratione virtus philosophica ad sublimiorem gradum nostro fini supernaturali respondentem, i. e. ad dignitatem virtutis *christianæ* elevetur, necnon validissima motiva et media suppeditat ad virtutes supernaturales colendas. — Confer verba S. Bonaventuræ pag. 6 in fine.

§ III.

De virtutibus cardinalibus in specie.

SECTIO I.

Prudentia.

297. Definitio prudentiæ. Prudentia definiri solet: „Recta ratio agibilium.” ¹⁾ Enucleatius definiri potest: *Habitus perficiens intellectum practicum ad recte statuendum per modum imperii, quid in quovis particulari casu tamquam honestum sit agendum, vel tamquam turpe sit fugiendum.*

Explicatur definitio. Dicitur 1^o *habitus perficiens intellectum practicum*; quo denotatur ejus *subjectum*, ratione cujus est virtus *intellectualis*. Dicitur 2^o *ad recte statuendum per modum imperii*; proprius prudentiæ actus est *præcipere* (N. 299). Dicitur 3^o *quid in quovis particulari casu*; quo prudentia differt a *scientia morali* seu Ethica, quæ versatur circa *necessaria*. Ethica enim, licet circa actus humanos, ac proinde circa res *contingentes*

¹⁾ I. 2. q. 57, a. 4; Vide Aristot. *VI Ethic.* cap. 5.

versetur, tamen circa illa contingentia non versatur prout contingentia sunt, sed circa eorum *rationes universales et necessarias*; ad Ethicam siquidem pertinet *universale* iudicium de agendis, v. g. furtum esse illicitum; ad prudentiam vero spectat iudicium *de agibilibus singulis*, prout sunt nunc agenda. ¹⁾ Dicitur 4^o *tamquam honestum sit agendum, et tamquam turpe sit fugiendum*; quo denotatur prudentiæ *objectum*, tum materiale tum formale. Nimirum *objectum materiale* prudentiæ sunt *agibilia*, seu actus humani, qui *in ipso operante* consistunt. In hoc prudentia differt ab *arte*, quæ respicit *factibilia*, quæ in *exteriori materia* constituuntur. ²⁾ *Objectum vero formale* est *veritas et rectitudo practica*; prudentia nimirum suum *objectum* primo et essentialiter respicit sub *ratione veri practici*, secundo et consequenter sub *ratione boni*.

298. Itaque prudentia *ratione subjecti* est *virtus intellectualis*; sed *ratione objecti* est *virtus moralis*; ³⁾ quinimo est omnium virtutum moralium *auriga*, utpote eis præscribens medium inter excessum et defectum. Hinc S. Bernardus: „Est ergo discretio (prudentia) non tam virtus, quam quædam moderatrix et *auriga virtutum*, ordinatrixque affectuum et morum doctrix. *Tolle hanc, et virtus vitium erit.*” ⁴⁾

299. Actus prudentiæ. Actus seu functiones prudentiæ sunt tres, scil. 1^o *bene consultare* seu inquirere quænam media, quænam circumstantiæ requirantur, ut opus honeste fiat. 2^o *Judicare* de mediis inventis. 3^o *Præcipere*, movendo scil. virtutes morales ad executionem eorum, quæ diligenter deliberata et firmiter

¹⁾ *De virt. a. 6. ad 1.* — ²⁾ 2. 2. q. 47, a. 5. — ³⁾ 1. 2. q. 58, a. 3, ad 1. — ⁴⁾ *Sermo 49 in Cantio.*

judicata sunt. Et hic quidem tertius actus est prudentiæ maxime proprius; siquidem primus et secundus potius ad partes *potentiales* prudentiæ pertinent. ¹⁾ Conf. N. 302.

300. Partes prudentiæ. Istæ partes sunt triplicis generis (N. 292), scil. *integrales*, *subjectivæ* et *potentiales*.

A. Partes integrales seu virtutes prudentiam *adjuvantes* sunt octo, videlicet 1^o *memoria* seu recordatio præteritorum; 2^o *intelligentia* seu cognitio præsentium; 3^o *providentia* seu consideratio futurorum; 4^o *docilitas* seu promptitudo capescendi aliena consilia; 5^o *solertia* seu prompta inventio medii convenientis; 6^o *ratio* seu promptitudo unum ex altero colligendi; 7^o *circumspectio* seu consideratio circumstantiarum; 8^o *cautio* seu cura vitandi mala et impedimenta, quibus opus vitari aut impediri posset. ²⁾

301. B. Partes subjectivæ seu *species* prudentiæ sunt duæ, scil. 1^o prudentia *personalis* seu *monastica*, per quam homo regit seipsum; 2^o prudentia *gubernatrix*, qua regit alios; hæc iterum est *œconomica*, *civilis*, *militaris* etc. ³⁾

302. C. Partes potentiales seu virtutes *adjectæ* numerantur tres, scil. 1^o *eubulia*, seu habitus recte consultandi; 2^o *synesis*, seu habitus recte judicandi secundum regulas communes; 3^o *gnome*, seu habitus recte judicandi ex principiis altioribus præter communes regulas, juxta mentem tamen legislatoris. ⁴⁾

¹⁾ 2. 2. q. 47, a. 8. — ²⁾ 2. 2. q. 48 et q. 49. — ³⁾ 2. 2. q. 48 et q. 50. — ⁴⁾ Aristot. *VI Ethic.* cap. 9, 10, 11; Maurus in l. c; 2. 2. q. 48 et q. 51.

303. Vitia opposita.

A. *Per defectum* opponitur *imprudentia*, sub qua continentur 1^o *præcipitatio*, 2^o *inconsideratio*, 3^o *inconstantia*, 4^o *negligentia*. ¹⁾

B. *Per excessum*, seu potius falsa prudentiæ specie, 1^o ratione finis *prudentiæ carnis*, quæ ingeniose quærit media in *finem pravum*; 2^o ratione mediorum *astutia*, quæ ad finem, sive bonum sive malum, excogitat *mala media*; hanc autem astutiam exequitur *fraus* per facta, et *dolus* principaliter per verba; 3^o saltem ratione modi *nimia sollicitudo temporalium et futurorum*. ²⁾

SECTIO II.

Justitia.

304. Definitio justitiæ. Latiori sensu per justitiam designatur *complexio omnium virtutum*; strictiori autem sensu accepta justitia a celeberrimo jurisconsulto *Ulpiano*, † 226, definitur: „*Constans et perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi*.” ³⁾ Hæc definitio, quæ in *Pandectis* suscepta est, ad hanc formam optime reducitur: *Habitus inclinans voluntatem ad jus suum cui libet alteri secundum æqualitatem tribuendum*. ⁴⁾

Explicatur definitio. Dicitur 1^o *habitus inclinans voluntatem*; quo denotatur hujus virtutis *subjectum*. „Non enim dicimur *justi* ex hoc, quod recte aliquid *cognoscimus* . . . , sed *justi* in hoc dicimur, quod aliquid recte *agimus*; proximum autem principium actus est *vis appe-*

¹⁾ 2. 2. q. 53, 54. — ²⁾ 2. 2. q. 55; Schoupe, Tract. XVIII, cap. 3, art. 1; Lehmkühl, N. 690-698. — ³⁾ 2. 2. q. 58, a. 1. — ⁴⁾ Van Egeren, fasc. IX. *De virtute justitiæ*, cap. 1.

titiva,"¹⁾ in hac quidem materia non appetitus *sensitivus*, sed rationalis, seu *voluntas*; „quia apprehensio *sensitiva* non se extendit ad hoc, quod considerare possit *proportionem unius ad alterum*." 2) Dicitur 2^o *cuilibet alteri*. Nimirum *justitia* est *ad alterum*, seu perficiens hominem relate ad alios homines, et per hoc differt ab illis virtutibus, quæ hominem in seipso perficiant, ut v. g. *temperantia*. 3) Dicitur 3^o *jus suum*; quo denotatur *justitiæ objectum*; nimirum *objectum materiale* hujus virtutis est illud omne, quod alter tamquam *suum* moraliter sibi vindicare potest; illud autem „*suum*” potest esse aliqua *res*, v. g. *pecunia*, aliqua *actio*, v. g. *labor operarii conducti*, vel etiam *omissio* alicujus actionis, qua illud „*suum*” violaretur. *Objectum vero formale* est *ratio debiti* seu specialis *honestas*, quæ relucet in eo, quod unicuique *suum* reddatur. Itaque ratione *objecti* *justitia* differt a virtutibus illis, quæ hominem quidem relate *ad alios* perficiunt, sed ita ut alter rem vel actionem ut „*suum*” moraliter exigere nequeat. Ita v. g. divites habent *moralem obligationem* dandi *elemosynas*, sed *pauperes* *elemosynam* ut „*suum*” moraliter exigere nequeunt; hinc dare *elemosynas* non ad *justitiam*, sed ad *misericordiam* spectat. Dicitur 4^o *secundum æqualitatem*, i. e. *secundum accuratam mensuram* illius, quod alteri *tribuitur*, cum eo, quod alteri tamquam *suum* *debetur*.

Tres explicatas conditiones breviter enuntiat Angelicus aiens: „*Ratio justitiæ consistit in hoc, quod alteri reddatur quod ei debetur secundum æqualitatem*.” 4)

1) 2. 2. q. 58, a. 4. — 2) l. c. — 3) Attamen Christus, ut homo, sibi, ut Deo, secundum justitiam satisfacit. Ratio est, quia persona Christi, licet sit physice una, virtualiter tamen duplex est propter duplicem naturam. Conf. S. Theol. — 4) 2. 2. q. 80.

305. Hinc medium justitiæ est medium rei.

Justitia, cum versetur circa res vel actiones alteri tamquam „*suum*” debitas, attendatque *æqualitatem objectivam* inter *jus* unius et *debitum* alterius independenter a circumstantiis personæ, loci etc., attingere debet *medium rei*, quod in adæquatione *rei cum re* consistit; i. e. justitia tantum dat alteri, quantum præcise illi debetur. Attamen hoc medium rei est etiam medium *rationis*, quia nempe recta ratio exigit, ut cuique suum reddatur, et ideo in justitia salvatur ratio virtutis moralis. ¹⁾ In aliis autem virtutibus medium non accipitur secundum proportionem *unius rei ad alteram*, sed solum secundum comparisonem *ad ipsum subjectum*. Ita v. g. medium temperantiæ non est præcise determinata cibi quantitas, sed modo major, modo minor, prout recta ratio dictat operanti convenire, spectata personæ qualitate. Hinc *medium rei* ubique et semper idem est; e contra *medium rationis* variabile est.

Partes justitiæ.

306. A. Partes integrales a S. Thoma assignantur duæ, scil. 1^o habitus faciendi bonum alteri debitum; 2^o habitus declinandi a malo alteri nocivo. ²⁾

307. B. Partes subjectivæ seu *species* justitiæ numerantur tres, scil. 1^o justitia *generalis* seu *legalis*, 2^o justitia *distributiva*, 3^o justitia *commutativa*. Porro justitia distributiva et commutativa ad justitiam *particularem* pertinent.

Circa hanc divisionem merito observat Theologia Wirceburgensis: „Permittitur hæc divisio ob auctoritatem

¹⁾ 2. 2. q. 58, a. 10, c. et ad l. — ²⁾ 2. 2. q. 79, a. 1.

ferme omnium, cum sit recepta a plerisque, etsi in rigore logico, non sit univoca; neque enim species illæ singulæ naturam justitiæ in genere *perfecte* participant. . . . Dicuntur tamen *justitia legalis* et *distributiva* prescius justitiæ *præ aliis virtutibus ad alterum*, quia *propius imitantur* justitiam strictam, scil. *commutativam*.¹⁾

308. Hujus divisionis ratio. Justitiæ proprium est hominem rectificare *erga alios*. Quot itaque modis quis potest ad alterum comparari, tot justitiæ species distingui debent. Porro triplici modo potest quis ad alium comparari, scil. 1^o *ut pars ad totum*, 2^o *ut totum ad partes*, 3^o *ut pars ad partem*. Priori modo civis comparatur ad civitatem, altero modo civitas ad cives, tertio modo civis ad civem. Hinc justitia triplex, scil. *generalis*, *distributiva* et *commutativa*.

309. I. Justitia generalis seu *legalis* ea est, *quæ inclinat tum subditos, tum principes ad præstanda omnia, quæ societati debentur in ordine ad bonum commune*. Hac virtute principes justas leges condunt, subditi legibus obediunt. — Hæc justitia vocatur *generalis*, quia intendit *bonum commune*; dicitur quoque *legalis*, quia omnes virtutes in bonum commune dirigendo exprimit indolem *legis*, quæ est ordinatio rationis in bonum commune.²⁾

II. Justitia distributiva ea est, *quæ inclinat societatem ejusve principem, ut bona et onera communia singulis societatis membris distribuat secundum meritorum ac facultatum proportionem*. Ista justitia, secus ac *commutativa* (infra III), non servat proportionem simplicem seu

¹⁾ De jure et justitia, N. 558. — ²⁾ 2. 2. q. 58, a. 5 et 6.

arithmeticam, sed proportionem comparatam seu *geometricam*. Nimirum in bonorum distributione et onerum impositione attendit ad dignitatem, merita, vires personarum, comparatione facta ad alias personas; ut, si habenti *sex* gradus meriti dentur *centum* nummi, habenti *tres* gradus dentur *quinquaginta*. ¹⁾ — Ita justitia est principaliter et formaliter in principe; est tamen etiam in subditis, in quantum sunt contenti justa distributione. ²⁾

Ad justitiam distributivam reduci potest justitia *vinculativa*, quæ inclinat principem et magistratus ad statuendas ac infligendas proportionatas pœnas delinquentibus. — Ad justitiam *legalem* etiam spectat, quatenus pœnæ ordinantur in bonum commune.

III. **Justitia commutativa**, quæ a bonorum commutationibus inter privatos nomen ducit, ea est, quæ *inclinat privatum ad reddendum alteri privato quod ei ex riguroso jure in proprium commodum debetur*. Hæc nimirum justitia, secus ac legalis et distributiva, est inter unum hominem et alterum, quatenus sunt inter se *omnino æquales ac independentes*. Hinc dicitur „*privatum . . . alteri privato;*” hoc tamen nomine etiam illi veniunt, qui se *instar privatorum* habent. Potest namque existere justitia commutativa inter *societatem publicam* seu *principem* et aliquam personam privatam; quo casu societas vel princeps sub respectu juridico non superior, sed *æqualis* est minimo civium. — Porro *debitum*, quod reddit justitia commutativa, est ex jure riguroso, i. e. ex jure *proprietas*; — et quidem debitum reddit secundum *æqualitatem rei ad rem*, i. e. secundum proportionem *arithmeticam*. ³⁾

¹⁾ 2. 2. q. 61, a. 2. — ²⁾ 2. 2. q. 61, a. 1, ad 3. — ³⁾ 2. 2. q. 61, a. 2.

310. Discrimen inter triplicem justitiam.

I. *Sola justitia commutativa habet tres conditiones ad perfectam justitiam requisitas: „quod alteri reddatur quod ei debetur secundum æqualitatem.”* ¹⁾ Siquidem:

a) *Alleritas* in sola justitia commutativa perfecta est; hæc enim justitia est inter personas *æquales ac independentes*; e contra justitia legalis et distributiva sunt inter *partes et totum*, necnon inter *totum et partes*.

b) *Debitum* in justitia commutativa est ex jure *proprietas*, quod spectat *privatum commodum* subjecti; unde ista justitia reddit alteri quod stricto sensu *suum* est. — E contra in justitia legali debitum non fundatur in jure proprietatis, sed in *jurisdictione* principis, quæ respicit *bonum commune*. — Nec in justitia distributiva debitum fundatur in jure proprietatis; major enim dignitas vel aptitudo *per se* subdito non tribuit strictum jus ad officia reipublicæ; „et ita cum ex bonis communibus aliquid in singulos distribuitur, quilibet *aliquo modo* recipit quod suum est.” ²⁾ — Attamen membra societatis habent strictum jus, ne nimis graventur oneribus.

c) *Æqualitas* perfecte servatur a sola justitia commutativa, quæ servat æqualitatem *rei ad rem*, per se non attendens ad qualitatem personarum, sed solum *per accidens*, in quantum per eam *ipsa rei quantitas* diversificatur, ut contingit in contumelia, quæ crescit ratione dignitatis personalis. ³⁾ — E contra justitia legalis et distributiva *per se* attendunt ad *qualitates personarum*; siquidem prior societatis membra inclinatur, ut secundum mensuram virium suarum ad bonum commune conferant; altera vero inclinatur principem, ut in bonorum ac onerum

¹⁾ 2. 2. q. 80. — ²⁾ 2. 2. q. 61, a. 1, ad 2. — ³⁾ 2. 2. q. 61, a. 2, ad 3.

communium distributione secundum meritorum ac virium proportionem procedat.

II. *Sola justitia commutativa obligat ad restitutionem, si læsa fuerit.* Ratio ultima hujus discriminis petitur ex *diversitate motivi formalis*; nimirum motivum justitiæ commutativæ post læsionem remanet, *et eodem modo obligat sicut antea*; contrarium vero obtinet in justitia legali et distributiva. — Siquidem:

a) Justitia commutativa formaliter respicit bonum *æqualitatis* inter privatos, seu *quod unusquisque habeat, quæ sua sunt, et nemo sine suis rebus maneat.* Hoc autem motivum *post læsionem*, v. g. post patratum furtum, remanet ac obligat usque dum debita restitutione ad pristinam æqualitatem reducatur.

b) Justitia legalis formaliter respicit *bonum commune* resultans ex *observantia legum*, quæ determinant tempus, modum etc., quo singula membra ad bonum commune concurrere debeant. Lege autem semel violata, eamque adimplendi *occasione semel transacta*, cessat quoque motivum formale justitiæ legalis relate ad actum illum, qui illa occasione poni vel omitti debuisset. Remanet quidem illud motivum, necnon obligatio legem adimplendi, *quamdiu perdurat occasio* observandi legem hactenus neglectam, attamen non ratione damni illati, vel per modum *restitutionis*, sed sicut nunc primum inciperet obligatio illa.

c) Justitia distributiva formaliter respicit *æqualitatem proportionis* inter membra societatis *quoad bona et onera communia.* Hoc motivum non perseverat, iniqua bonorum distributione *semel peracta*; nam læsa æqualitas reparari nequit. Siquidem reparari nequit ex bonis commu-

nibus, nisi auferendo quæ data sunt minus digno, et hoc foret contra justitiam commutativam, quia recipiens in ea jus acquisivit. Neque reparari potest ex bonis *privatis* iniqui distributoris, nam tali reparatione non auferitur distributio inæqualis bonorum *communium*. ¹⁾

Nota tamen, quod violationem justitiæ legalis et distributiivæ sæpe comitetur læsio justitiæ commutativæ, et exinde restitutionis debitum.

311. C. Partes potentiales seu virtutes adjunctæ numerantur *octo*. — Istæ virtutes cum justitia conveniunt in eo, quod sunt *ad alterum*; a justitia deficiunt in eo, quod debitum non reddunt *ad æqualitatem*, vel in altero non supponunt jus, adeoque important debitum non *legale* seu juridicum, sed solummodo *morale*, in honestate fundatum, quod ab altero strictè *exigi* nequit.

Porro a) *debitum ad æqualitatem reddere nequeunt* 1^o *religio* erga Deum, 2^o *pietas* erga parentes et patriam, 3^o *observantia* erga superiores et personas dignitate præcellentes.

b) *Debitum legale non important* 1^o *veracitas*, 2^o *gratitudo* erga benefactores, 3^o *vindicatio* seu honesta jurium defensio debitiæque pœnæ inflictio, 4^o *liberalitas*, 5^o *affabilitas*. ²⁾

312. Vitia opposita. — 1^o Justitiæ *legali* opponitur *contemptus boni communis*, 2^o justitiæ *distributiivæ* opponitur *acceptio personarum*, 3^o justitiæ *commutativæ* opponuntur variæ injuriarum species, quibus læduntur jura alterius, furtum, calumnia etc. ut explicatur in speciali Tractatu *de justitia*. ³⁾

¹⁾ Vide De Lugo, *De justitia*, Disp. 1, s. 3. — ²⁾ 2. 2. q. 80. — ³⁾ 2. 2. q. 59, a. 1; Schoupe, l. c. art. II; Lehmkühl, N. 748-753;

SECTIO III.

Fortitudo.

313. Definitio fortitudinis. *Habitus moderans appetitum sensitivum irascibilem in quibuscumque arduis laboribus et periculis, præsertim periculis mortis, sustinendis et aggrediendis.*

Explicatur definitio. Dicitur 1^o habitus moderans appetitum sensitivum irascibilem; quo denotatur ejus subjectum. Dicitur 2^o quibuscumque arduis laboribus et periculis; quo denotatur fortitudinis objectum materiale. Nimirum objectum materiale remotum sunt res arduæ, præsertim pericula mortis; objectum materiale proximum sunt ipsæ passiones timoris et audaciæ, quas moderando et cohibendo intra limites rationis continet. Porro specialis illa honestas, quæ in animi firmitate et constantia continetur, est objectum formale. ¹⁾

314. Actus fortitudinis. Duplex est fortitudinis actus: 1^o *aggredi*, 2^o *sustinere*, quorum prior honorabilior quidem et splendidior apparet, sed alter, utpote difficilior, reipsa præstantior est „Difficilius enim est timorem reprimere, quam audaciam moderari, eo quod ipsum periculum, quod est objectum audaciæ et timoris, de se confert aliquid ad repressionem audaciæ, sed operatur ad augmentum timoris. Aggredi autem pertinet ad fortitudinem, secundum quod moderatur audaciam; sed sustinere sequitur repressionem timoris.” ²⁾

N. 767-781; Van Egeren, *De virtute justitia*, fasc. IX; Van Gestel, *De justitia et lege civili*, cap. 1, § 1, 2, 3. — ¹⁾ 2. 2. q. 123. — ²⁾ l. c. a. 6.

Ad hunc secundum actum pertinet *martyrium*. ¹⁾

315. Partes fortitudinis. „Fortitudini autem, secundum quod est specialis virtus, non possunt assignari partes *subjectivæ*, eo quod non dividitur in multas virtutes specie differentes, quia est circa materiam valde specialem.” ²⁾

316. Partes integrales et simul potentiales sunt quatuor, scil. 1^o *fiducia*, 2^o *magnificentia*, 3^o *patientia*, 4^o *perseverantia*. Sunt partes *integrales*, quatenus versantur circa ipsam materiam fortitudinis, quæ sunt *pericula mortis*; sunt partes *potentiales*, quatenus versantur circa materias *minus difficiles*. ³⁾

317. Quomodo ad fortitudinem pertineant. Munus fortitudinis est in *aggreudiendis* periculis et *sustinendis* laboribus. Atqui ad *aggreudienda* pericula duo requiruntur, scil. 1^o promptitudo animi, seu *fiducia*, qua quis malum imminens superare confidit; 2^o strenuitas in executione, seu *magnificentia*, qua quis res magnas et excelsas cogitat et exequitur. Pariter ad *sustinendos* labores duo requiruntur, scil. 1^o ne animus difficultate imminentium malorum per tristitiam et dolorem frangatur, quod præstat *patientia*, quæ est rerum arduarum voluntaria et diuturna perpessio; 2^o ne animus diuturna malorum perpessione fatigetur et ab opere incepto desistat, quod præstat *perseverantia*, quæ facit firmiter persistere in bono, contra difficultatem, quæ ex ipsa diuturnitate actus provenit. ⁴⁾

318. Vitia opposita.

A. *Per defectum* opponitur 1^o *ignavia*, quæ est defec-

¹⁾ q. 124. — ²⁾ 2. q. 128. — ³⁾ l. c. — ⁴⁾ l. c. Vide q. 123-140; Schoupe, l. c. art. IV; Lehmkühl, N. 699-713.

tus in audendo; 2^o *timiditas*, quæ est excessus in timendo.

B. *Per excessum* opponitur 1^o *nimia audacia* seu *temeritas*, quæ est excessus in audendo; 2^o *intimiditas*, quæ est defectus in timendo. 1)

SECTIO IV.

Temperantia.

319. Definitio temperantiæ. *Habitus moderans appetitum sensitivum concupiscibilem circa delectationes corporales, præsertim circa delectationes tactus et gustus.* 2)

Explicatur definitio. Dicitur 1^o *habitus moderans appetitum sensitivum concupiscibilem*; quo denotatur temperantiæ *subjectum*. Dicitur 2^o *circa delectationes corporales, præsertim tactus et gustus*; quo denotatur temperantiæ *objectum materiale*. Nimirum *objectum materiale remotum* sunt esculenta, poculenta et venerea; *objectum materiale proximum* sunt *delectationes* ex illis rebus profluentes; istæ *delectationes* præ cæteris vehementiores sunt, et ideo indigent speciali virtute, qua debitam moderationem accipiant. 3) Porro specialis illa honestas, quæ reluctet in illo moderamine juxta naturam rationalem, est *objectum formale*.

Partes temperantiæ.

320. A. Partes integrales sunt duæ: 1^o *honestas*, 2^o *verecundia*. Integrum siquidem temperantiæ officium in duobus consistit, scil. in *amore decoris*, quem ingerit *honestas*, necnon in *fuga turpitudinis*, quæ dicitur *verecundia*. Hæc tamen, ut post Aristotelem S. Thomas observat, est potius *passio* laudabilis, quam vir-

1) 2. 2. q. 125, 126, 127. — 2) 2. 2. q. 141, a. 4. — 3) 2. 2. q. 141, a. 4 et 5.

tus proprie dicta. ¹⁾

321. B. Partes subjectivæ numerantur quatuor: 1^o *abstinentia*, quæ versatur circa cibum; 2^o *sobrietas*, quæ est circa potum inebriantem; 3^o *castitas*, quæ versatur circa venerea, ea excludendo, vel debite moderando; 4^o *pudicitia*, quæ castitati subordinatur, et præcipue externa respicit. ²⁾

322. C. Partes potentiales numerantur quinque. Ad temperantiam pertinet moderari delectationes illas, quarum moderatio est *difficillima*; unde quæcumque virtus aliquam moderationem importat in materiis minori difficultati obnoxiiis, merito ponitur tamquam virtus temperantiæ adjuncta. Tales autem virtutes sunt 1^o *continentia*, quæ refrænât motus concupiscentiæ, ne voluntas vincatur; 2^o *humilitas*, quæ moderatur appetitum gloriæ; 3^o *mansuetudo* seu *clementia*, quæ moderatur motum iræ tendentis in vindictam; 4^o *modestia*, quæ moderatur motus exteriores; 5^o *moderatio*, quæ spectat res exteriores, et omnia superflua respuit et nimis exquisita non exquirat. ³⁾

323. Vitia opposita.

A. *Per defectum* opponitur *insensibilitas* seu *stupor*, quo quis delectationes sensuum, maxime tactus et gustus, ita aversatur, ut iis uti renuat, quando et quantum oportet.

B. *Per excessum* opponitur *intemperantia*, qua quis quærit delectationes sensiles, maxime tactus et gustus, præter rationis dictamen. ⁴⁾

¹⁾ 2. 2. q. 143, 144, 145. — ²⁾ 2. 2. q. 143. — ³⁾ l. c. — ⁴⁾ 2. 2. q. 142-177; Schoupepe, l. c. art. V; Lehmkühl, N. 714-735.

ARTICULUS II.

De vitiis.

324. Definitio vitii. Quemadmodum habitus boni seu virtutes hominem inclinant ad bene agendum, ita e contra habitus mali seu vitia hominem inclinant ad actus malos. Porro ex iis, quæ *Artic. I* de virtutibus explicavimus, colligitur habitum contrarium seu vitium definiri posse: *Habitus malus mentis, quo male vivitur et nemo bene utitur.*

Hinc *vitium* distinguitur a *peccato*; siquidem vitium est *habitus* ad peccandum inclinans; e contra peccatum est *actus* ex vitio promanans, aut vitium generans (N. 278). ¹⁾ Sæpe tamen duo ista nomina confunduntur.

325. Omne vitium repugnat naturæ rationali. Sicut enim proprium virtutis est facultatibus humanis bene uti totamque vitam secundum ordinem rationis componere, ita ex adverso proprium vitii est facultatibus humanis abuti ordinemque rationis corrumpere. Hinc omne vitium, utpote rationi repugnans, est contra naturam hominis, in quantum *homo* est. ²⁾ Quinimo nonnulla vitia sunt contra naturam hominis, etiam quatenus *animal* est.

326. Quædam vitia dicuntur capitalia. Ex quibusdam vitiis iterum alia promanant *secundum rationem finis*, quatenus, cum finis sit multum appetibilis, propter ejus appetitum homo procedit ad multa facienda bona vel mala. ³⁾ Talia vitia numerantur *septem*.

¹⁾ l. 2. q. 71, a. 1. -- ²⁾ l. 2. q. 71, a. 2. — ³⁾ l. 2. q. 84, a. 3 et 4.

PROPOSITIO.

Vitia capitalia sunt superbia, gula, luxuria, avaritia, acedia, invidia et ira.

327. Prob. Vitia capitalia sunt, quorum fines sunt hujusmodi, ut ad ipsos alia vitia ordinentur. Atqui hujusmodi fines septem enumeratis vitiis competunt. Ergo.

Prob. Min. Appetitus inordinate movetur vel ad consequendum aliquod bonum, vel ad fugiendum aliquod malum.

Atqui I. bonum, quod homo inordinate appetit, triplex est. Etenim est 1^o quoddam bonum animæ ex sola apprehensione intellectuali appetibilitatem habens, sicut excellentia honoris et gloria. Tale bonum inordinate prosequitur *superbia*. 2^o est quoddam bonum corporis vel pertinens ad conservationem individui, sicut cibus et potus, quod inordinate prosequitur *gula*; vel pertinens ad conservationem speciei, sicut venerea, quod inordinate prosequitur *luxuria*. 3^o Est quoddam bonum exterius, scil. divitiæ, quod inordinate prosequitur *avaritia*.

Atqui II. bonum, quod propter malum adjunctum homo inordinate fugit, est duplex, scil. proprium vel alienum. Jam vero 1^o bonum proprium, et ita habetur *acedia*, quæ tristatur de aliquo bono spirituali impediente quietem vel delectationem corpoream. 2^o Bonum alienum, de quo tristantur invidia et ira. Nimirum si homo de tali bono tristatur absque appetitu vindictæ, tunc habetur *invidia*, quæ tristatur de bono alterius, quatenus impedit propriam excellentiam. Si illa tristitia conjungitur cum insurrectione ad vindictam, tunc habetur *ira*. 1)

1) I. 2. q. 84, a. 4; In II Sent. Dist. 42, q. 2, a. 3; De malo, q. 8, a. 1; S. Bonaventura, Breviloq. pars III, cap. 9.

Ad quæstionem autem cur tantum quatuor sint *virtutes* principales, et plura *vitia*, respondet S. Thomas: „Non est eadem ratio originis in virtutibus et vitiis. Nam virtutes causantur per ordinem appetitus ad rationem, vel etiam ad bonum *incommutabile*, quod est Deus. Vitia autem oriuntur ex appetitu boni *commutabilis*; unde non oportet quod principalia vitia opponantur principalibus virtutibus. ¹⁾

Caput VI.

De norma completa actuum humanorum, tum objectiva seu lege, tum subjectiva seu conscientia.

328. Prænot. I. De norma *incompleta* actuum humanorum, ex qua pendet *moralitas*, Cap. III, Artic. I disputavimus. Norma proxima est natura rationalis, norma remota ac ultima est divinus intellectus contemplans essentiam divinam. At vero alia est ratio *moralitatis*, alia est ratio *obligationis*. — Etsi enim rationis judicia, quatenus bonum et malum discernunt, aliquam obligationem improprie dictam important, non tamen exhibent obligationem proprie dictam seu talem, *qua reluctans etiam voluntas se ordini morali ineluctabiliter ligatam sentiat*. Obligatio istiusmodi imponitur voluntati a voluntate superioris ordinis conservationem *absolute præcipientis*, ordinis violationem *absolute vetantis* (N. 337). — Hæc autem voluntatis ordinatio dicitur *lex*, quæ actuum

¹⁾ 1. 2. q. 84, a. 4, ad 1. De singulis vitiis agit S. Thomas in 2. 2.; et quidem de *superbia* et *inani gloria* q. 162 et 132; de *gula* q. 148; de *luxuria* q. 153 et 154; de *avaritia* q. 118; de *acedia* q. 35; de *invidia* q. 36; de *ira* q. 158. In legendis libris asceticis non negligatur doctrina Angelici.

humanorum normam completam exhibet (N. 175).

II. Attamen lex non est nisi norma *objectiva* ac *remota*, et ideo ejus *objectiva* vis obligandi suam efficaciam in actu secundo exerere nequit, nisi subditis *innoscat*, et per *judicium rationis ad singulas actiones applicetur*. Hoc autem fit per *conscientiam moralem*, quæ idcirco actuum humanorum *subjectiva* ac *proxima* norma est (N. 175, 423).

III. Quapropter dicemus: 1^o *De lege generatim*; 2^o *de lege æterna*; 3^o *de lege naturali*; 4^o *de lege positiva*, quatenus cum *lege naturali* connectitur; 5^o *de legis applicatione seu conscientia*.

ARTICULUS I.

De lege generatim.

329. PRÆNOT. De lege generatim spectata quaeritur: 1^o *Quid sit lex*; 2^o *in quo consistat legis obligatio*.

§ I.

Quid sit lex.

330. Legis etymon. Quod Græci νόμον, a νέμω, i. e. *tribuo*, *administro*, hoc Latini *legem* dicunt. Quæ vox juxta Tullium ¹⁾ dicta est a *legendo*, i. e. *eligendo*, quia deligit inter multa, quid agendum vel omittendum sit. — Juxta S. Isidorum ²⁾ derivatur a *legendo*, quia scribi et hinc *legi* solet; cui etymologiæ consonat vox hebraica *Thora*, i. e. *instructio*. — Denique juxta S. Thomam et sententiam communem *lex* dicitur a *ligan-*

¹⁾ *De legib.* lib. 1. — ²⁾ lib. 2 *Etymol.* cap. 10.

do, quia proprius effectus legis est *ligare* seu *obligare*.¹⁾

331. Diversa legis acceptio. 1^o Sensu latissimo lex *cujuscumque* actionis regulam denotat; quo sensu ipsæ normæ, juxta quas *ordo physicus* constituitur, vocantur *leges physice*. 2^o Sensu lato lex denotat *quamcumque* regulam practicam pro agente *rationali*; quo sensu etiam normæ, quibus *artes* diriguntur, dicuntur *leges*, v. g. *leges picturæ*. 3^o Sensu minus lato importat *quamcumque* normam *actuum moralium*; quo sensu etiam *præceptum* paternum lex dici potest. 4^o Sensu stricto non significat *quamcumque* normam moraliter obligantem, sed inter tales etiam normas *specialem locum* occupat, ut ex mox dicendis patebit.

332. Definitio legis. Lex stricte dicta definitur: „*Ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata.*”²⁾

Explicatur definitio. Dicitur 1^o ordinatio seu dispositio ad finem per media proportionata. Ordinationem intellige non mere directivam, sed *strictè obligatoriam* (N. 336, seqq.), per quam lex differt a *consilio*, quod ad agendum quidem *suaadet*, non vero *ligat*. Dicitur 2^o ordinatio rationis; nimirum duplex est legis munus: *dirigere* et *ligare*; primum lex habet a *ratione*, alterum a *voluntate* legislatoris, non utcumque spectata, sed *ut per rationem regulata*.³⁾ Dicitur 3^o ad bonum commune; finis legis est *bonum*, non quidem *bonum privatum* legislatoris vel alicujus subditi, nec *bonum societatis abstracte sumptæ*, prout a membris distinguitur, sed *bonum omnium membrorum societatem efformantium*.⁴⁾ Dicitur 4^o ab eo,

¹⁾ I. 2. q. 90, a. 1; Suarez, *De leg.* lib. 1, cap. 1. — ²⁾ I. 2. q. 90, a. 4. — ³⁾ Suarez, *De leg.* lib. 1, cap. 5. — ⁴⁾ Suarez, *De leg.* lib. 1, cap. 7.

qui curam communitatis habet; communitas hic intelligatur *perfecta*, seu talis, quæ sibi sufficiat ad suum finem completum consequendum. Tales sunt communitas generis humani, Ecclesia et Status civilis. 1) Cum vero lex sit norma obligatoria, hinc nemo legem imponere potest communitati, nisi in ipsam *auctoritate* polleat. Ista autem auctoritas est potestas *publica* seu *jurisdictio*, quæ morte legislatoris non exstinguitur, sed ad ejus successores transit, et simul cum communitate, cujus necessarium elementum est, perdurat. 2) Dicitur 5^o promulgata; imperare nihil aliud est, quam subditos ad convenientem ordinem obligando applicare. Atqui talis applicatio non fit nisi per legis *cognitionem*, adeoque per *manifestationem authenticam*. — Hinc promulgatio ad legis *essentiam* pertinet, vel saltem est *conditio* necessaria, ut lex actu obliget. 3)

✓ **333. Actus ad legem ferendam necessarii.**

Lex in suo *auctore* spectata postulat 1^o *judicium rationis* ad bonum commune expedire, quod ad tale quid agendum vel omittendum communitas adstringatur; 2^o *actum voluntatis*, quo superior acceptet, eligat ac velit observari a subditis id, quod intellectus expedire judicaverit; 3^o *intimationem* subditis. 4)

✓ **334. Lex differt a præcepto.** Quamvis nomina promiscue usurpentur, lex tamen et præceptum in multis differunt. Scilicet:

1^o Ratione finis. Lex essentialiter intendit bonum *commune*; præceptum potest spectare bonum mere *privatum* sive mandantis, v. g. heri, sive mandatarii, v. g.

1) Suarez, *De leg.* lib. 1, cap. 6. — 2) Suarez, lib. 1, cap. 8. — 3) Suarez, lib. 1, cap. 11. — 4) Suarez, lib. 1, cap. 4.

fili, sive alicujus tertii. — 2^o Ratione auctoris. Ad legem ferendam requiritur *potestas publica* seu jurisdictio in suo ordine suprema; ad præceptum dandum sufficit *quæcumque potestas dominativa*, qualem potestatem habent maritus, pater, herus etc. — 3^o Ratione subjecti. Subjectum legis est *communitas perfecta*; siquidem lex fertur pro tota communitate perfecta, vel saltem pro aliqua ejus classe aut collegio, ut sunt v. g. milites, mercatores, sed tamen ita, ut in hac hypothesis lex universos hujus classis afficiat, et bonum *totius communitatis* respiciat. E contra subjectum præcepti est *communitas imperfecta*, v. g. societas domestica, vel etiam *persona particularis*. — 4^o Ratione extensionis. Lex fertur pro communitate, qua tali, et ideo si illa communitas est *localis*, lex extra ejus territorium non obligat. E contra præceptum, cum directe afficiat personas, ubique eas comitatur, juxta effectum: *Lex territorium afficit, præceptum vero ossibus hæret*. Attamen legibus proprii territorii tenentur illi, qui licet actu extra territorium versentur, adeoque *physice* absint, per fictionem tamen juris reputantur *moraliter* præsentés. Conf. Bouquillon, *Theol. mor. fundam.* N. 147 et N. 229; Marres, *De justitia*, lib. III, N. 12-18. Ita leges nostræ civiles, quæ personarum jura, statum aut personas definiunt, cives Neerlandicos obligant etiam quando extra patriam versantur, *Wet houdende Algemeene Bepalingen*, Art. 6. — 5^o Ratione durationis. Lex est stabilis tum ratione *auctoris*, nam auctoritas per mortem personæ legislatoris non exstinguitur; tum ratione *subjecti*, nam communitas per succedentes sibi generationes habet existentiam durationis indefinitæ; tum ratione *sui*, nam recta gubernatio reipublicæ stabilitatem et uniformitatem exigit; hinc lex semel lata *per se du-*

rationem indefinitam habet. E contra præceptum potest dari pro uno alterove die; expirat per mortem præcipientis; ¹⁾ et ex natura sua stabilitatem non postulat. ²⁾

335. Partitio legis. Leges dividuntur:

1^o In legem *Æternam* et leges *Temporales*. Lex æterna est ea, quæ ab æterno existit in mente divina; leges temporales sunt illæ, quæ in tempore latæ sunt. ⁴⁾

2^o *Ratione auctoris immediati* in *divinam* et *humanam*, prout immediate fertur a Deo, vel ab homine. ³⁾

3^o *Ratione fundamenti simul et promulgationis* in *naturalem* et *positivam*. Lex naturalis est ea, quæ in natura fundatur et per lumen naturale rationis promulgatur. Lex positiva est ea, quæ non fundatur in natura, vel saltem, etsi ratione *materiae* naturalis sit, a legislatore per aliquod signum externum est promulgata.

4^o *Lex divina* est *æterna* vel *temporalis*. — *Lex divina temporalis* est *naturalis* vel *positiva*; ista lex positiva rursus est *primæva*, *mosaica* et *christiana*.

5^o *Lex humana*, quæ ratione promulgationis semper positiva est, subdividitur in *ecclesiasticam* et *civilem*. ⁴⁾

6^o Leges præterea dividuntur in *affirmativas* et *negativas*, prout aliquam actionem ponendam vel aliquam

¹⁾ Excipe quando res non amplius integra est, necnon nonnullos casus favorabiles. Conf. *S. Theol.* — ²⁾ Suarez, lib. 1, cap. 10. — ³⁾ *Angeli* non sunt leges hominum.



metaphysice honestabile = dat omnes qd omnes homines vident
 non signa qd qd emula sunt vultibus
 non honestabile generis nobis generis cur / nomen hi mactant
 de qd mactant. tennit honestabile qd
 = honestabile honestabile

actionem omittendam jubent. — Lex affirmativa obligat *semper*, sed non *ad semper*, negativa obligat *semper et ad semper*. Ratio est, quia quovis tempore vitare malum, non tamen quovis tempore facere omne bonum necesse est.

§ II.

In quo consistat legis obligatio.

336. Obligatio activa et passiva. Omnis lex de sui ratione habet, ut liget seu vinculum morale imponat: „dicitur enim lex a *ligando*, quia obligat ad agendum.” ¹⁾ — Porro legis obligatio est duplex, una *activa*, altera *passiva*. — Est autem obligatio activa *ipsa vis ligandi*, quæ in lege residet; obligatio vero passiva est vinculum morale seu *obediendi necessitas* voluntati subditi per legem imposita; est igitur *effectus* obligationis activæ.

337. Definitio obligationis^o passivæ. *Necessitas moralis absoluta aliquid faciendi vel omittendi voluntati subditi a voluntate superioris imposita.*

Explicatur definitio. Dicitur 1^o *necessitas moralis*; lex moralis, secus ac lex physica, non aufert ² potestatem physicam, sed *moralem* seu *jus eligendi* oppositum; quo fit, ut libertas humana per legem non destruat, sed solummodo contineatur intra limites rationis. Dicitur 2^o *necessitas absoluta*; non est necessitas *disjunctiva* vel parendi legi vel subeundi pœnam, sed necessitas moralis absoluta *legem adimplendi*. Quod si voluntas, hanc necessitatem declinans, libertatis abusu legem violet, eo ipso fit *inordinata*, incurrit reatum *cul-*

¹⁾ I. 2. q. 90, a. 1.

La souveraineté appartient à l'État, mais elle n'est pas absolue, elle est limitée par les lois de Dieu et de l'homme. D'ailleurs, il n'y a pas de droit de rébellion, l'obéissance n'est pas un crime, elle est un devoir.

pæ, et propter hunc reatum culpæ simul reatum *pœnæ*.¹⁾ Hinc voluntas, quæ *libere* se ab ordine *avertit*, *pœna coacta* in ordinem *reincidit*. Dicitur 3^o *aliquid faciendi vel omittendi*; quo denotatur obligationis objectum, quod vocatur *officium*. Dicitur 4^o *a voluntate superioris imposta*; ad voluntatem alterius *moraliter* ligandam, ita ut ex obligationis violatione voluntas illa inordinata ac culpabilis sit, non sufficit *prevalentia physica*, quæ non nisi *physicam* obligationem imponere potest, sed requiritur *auctoritas*, potestas moralis seu *jus imperandi*, cui in aliis correlativum officium *morale* respondet.

338. Solus Deus per se talem obligationem imponere potest. „Nemo autem hominum habet in se aut ex se, unde possit hujusmodi imperii vinculis liberam ceterorum voluntatem (ut his plane peccatum sit non parere) constringere. Unice rerum omnium procreatori et legislatori Deo ea potestas est: quam qui exercent, tamquam a Deo secum communicatam exercent necesse est.”²⁾ Hinc sola divina voluntas est causa efficiens *primaria* cujuscumque obligationis moralis; at tamen etiam voluntas humana *vi auctoritatis divinitus communicatæ*, tamquam causa *secundaria* aliorum voluntatem moraliter ligare potest.

339. Obligatio passiva in actu primo et in actu secundo. In actu primo est vinculum morale in

¹⁾ l. 2. q. 87, a. 1. „In ipsamet lege, inquit Suarez, duo effectus et consequenter quasi duæ virtutes distinguuntur; alia *obligandi in conscientia*, quæ directiva dicitur, alia subjiciendi et *obligandi ad pœnam*, quæ coactiva dicitur. Nam in legislatore utraque potestas necessaria est, directiva, ut imperare valeat, quid agendum vel non agendum sit cum necessitate quadam pertinente *ad honestatem morum*, quæ dicitur *obligatio in conscientia*, seu in ratione honestatis; coactiva, ut cogere possit, ut sibi obediat.” *De leg. lib.* l, cap. 17, N. 4. — ²⁾ Leo XIII, *Encycl. Diuturnum*, tom. I, pag. 213.

se spectatum, et dicitur obligatio *objectiva, materialis*. — In actu secundo est idem vinculum, sed quatenus a subdito *cognoscitur*, et dicitur obligatio *subjectiva, formalis*. — Ex priori obligatione actus sunt boni vel mali *materialiter*, ex altera obligatione sunt boni vel mali *formaliter* (N. 176, C).

340. Obligatio et sanctio. „Id autem, per quod inducit lex ad hoc, ut sibi obediatur, est timor pœnæ,” ¹⁾ et spes præmii; et ideo legislatores præmia ac pœnas constituunt, ut obligatio a subditis adimpleatur. — Hæc tamen præmiorum pœnarumque præstitutio, quæ dicitur *sanctio*, cum obligatione morali non coincidit, sed ejus *consequens et tutela* est. *mittel und der verpflichtungsverhältnisse.*

341. Coroll. Itaque voluntas humana, quamvis *moraliter debeat* legem servare, *physice potest* legem violare; attamen hoc libertatis *physicæ abusu* perturbat ordinem moralem, offendit supremum Legislatorem ac Judicem, ²⁾ sese avertit a fine ultimo ac summo Bono, sibi, ut beata sit, omnino necessario, simulque pœnarum æternarum reatum incurrit (N. 377, seqq.) ³⁾ — Jam vero *absoluta indigentia* et *inexterminabile desiderium felicitatis*, cujus assectio a legis custodia tamquam a medio *necessario* pendet, voluntatem vehementer instigat ad *moralem* obligationem *libere* adimplendam.

¹⁾ l. 2. q. 92, a. 2. — ²⁾ Hoc etiam quadrat in violationem legis *humane*; siquidem Deus jubet obedire auctoritati legitimæ. -- ³⁾ Supponimus hic violationem legis esse istiusmodi, ut grave peccatum sit. Distinctionem peccatorum mortalium et venialium explicant *Theologi*. Vide in *II Sent.* Dist. 42, q. 1, a. 4; c. *Gent.* lib. 3, cap. 143; l. 2. q. 72, a. 5.

ARTICULUS II.

De lege æterna.

342. Prænot. Circa Legem æternam quæritur :
 1^o *Quid sit* ; 2^o *utrum existat* ; 3^o *utrum , et quomodo
 omnes aliæ leges ab ipsa deriventur.*

§ I.

Quid sit lex æterna.

343. **Notio legis æternæ.** „Sicut in quolibet artifice præexistit ratio eorum , quæ constituuntur per artem , ita etiam in quolibet gubernante oportet quod præexistat ratio ordinis eorum , quæ agenda sunt per eos , qui gubernationi subduntur. Et sicut ratio rerum *fiendarum* per artem vocatur *ars* vel *exemplar* rerum artificiarum , ita etiam ratio *gubernantis* actus subditorum rationem *legis* obtinet Deus autem per suam sapientiam conditor est universarum rerum , ad quas comparatur sicut artifex ad artificia Est etiam gubernator omnium actuum et motionum , quæ inveniuntur in singulis creaturis Unde sicut ratio divinæ sapientiæ , in quantum per eam cuncta sunt creata , rationem habet *artis* vel *exemplaris* vel *ideæ* , ita ratio divinæ sapientiæ moventis omnia ad debitum finem , obtinet rationem *legis*. Et secundum hoc lex æterna nihil aliud est quam *ratio divinæ sapientiæ* , *secundum quod est directiva omnium actuum et motionum.*” ¹⁾

344. **Diversa acceptio legis æternæ.** Ut ex hac magistrali descriptione liquet , lex æterna sensu la-

¹⁾ 1. 2. q. 93, a. 1.

tissimo accepta complectitur non solum ordinem *mora-*
lem, sed etiam ordinem *physicum* (N. 162. I). Hoc sen-
su lex æterna est actus Dei immanens, quo ab æterno
vult *omnes* creaturas a se condendas, sive rationales
sive irrationales, in finem convenienter ordinari, adeo-
que lex æterna ita accepta est „*directiva omnium ac-*
tuum et motionum.”

Sensu minus lato complectitur *solum et totum ordi-*
nem moralem (N. 162. II), sive naturalem sive su-
pernaturalem (N. 163, seqq.); hoc autem sensu accep-
ta lex æterna in creatura rationali per *lumen naturale*
rationis vel per *revelationem supernaturalem* participatur
tamquam *lex proprie dicta* seu moralis.

Sensu strictiori et communi solum ordinem *mora-*
naturalem (N. 164) respicit. Et re quidem vera, sub
hoc respectu lex ista non tantum æterna est *ab æterni-*
tate actus divini, sed insuper et potissimum, *quia ejus*
præcepta æternam, necessariam et incommutabilem verita-
tem habent. E contra lex, quæ respicit ordinem *super-*
naturalem, etsi lata est per *decretum æternum* (Deus e-
nim, cum sit *Ens immutabile*, quidquid facit, in æter-
nitate facit), non habet tamen eandem necessitatem, quia
ordo supernaturalis, creatione etiam supposita, in *libero*
Dei beneplacito fundatur (N. 167).

345. Definitio legis æternæ strictè dictæ.

A S. Augustino definitur: „*Ratio vel voluntas Dei or-*
dinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans.” ¹⁾
Pro explicatione hujus definitionis vide infra N. 353.

¹⁾ c. *Faustum*, lib. 22, cap. 27. — Quoad particulam *vel* observat Suarez:
„Usitatum est, ut particula *vel* pro *copulatione* accipiatur, maxime quando illa,
inter quæ ponitur, ita sunt inter se connexa, ut non separentur. Sic autem
se habent ratio divina et voluntas circa legem æternam, et ideo utramque
Augustinus complexus est.” *De legib.* lib. 2, cap. 6, N. 13.

§ II.

Postea alterum exemplum
Utrum existat lex aeterna.

PROPOSITIO.

Admitti debet in Deo lex aeterna.

346. Prob. I. „Nihil est aliud lex quam dictamen practicae rationis in principe, qui gubernat aliquam communitatem perfectam. Manifestum est autem, supposito quod mundus divina providentia regatur (l. q. 22, a. 1 et 2; Conf. *Theolog. natur.*), quod tota communitas universi gubernatur ratione divina. Et ideo ipsa ratio gubernationis rerum in Deo, sicut in principe universitatis existens, legis habet rationem. Et quia divina ratio nihil concipit ex tempore, sed habet aeternum conceptum, inde est quod hujusmodi legem oportet dicere aeternam.” ¹⁾

Confer argumenta, quibus infra (N. 359) demonstratur existentia legis naturalis.

Prob. II. *Auctoritate Sapientum.* Antiquorum consensum appellans Tullius praecclare aiebat: „Hanc video sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatum, nec scitum aliquod esse populorum, sed *aeternum quiddam*, quod universum mundum regeret, imperandi prohibendique sapientia. Ita principem legem illam et ultimam *mentem esse dicebant omnia ratione aut cogentis aut vetantis Dei.*” ²⁾

347. Coroll. ^{1°} *Omnes creaturae legi aeternae subjiciuntur, at diverso modo.* — Siquidem omnes creaturae

¹⁾ l. 2. q. 91, a. 1. — ²⁾ *De legib.* lib. 2, cap. 4.

subduntur *gubernationi* divinæ; atqui lex æterna nihil aliud est nisi *ratio gubernationis divinæ*. ¹⁾ — Attamen creaturæ *irrationales* ad fines suos per legem æternam non diriguntur tamquam per legem formaliter præcipientem et moraliter obligantem, sed tamquam per normam *ordinantem* et *moventem*; quo fit, ut respectu ipsarum lex æterna non habeat rationem legis stricte dictæ. — E contra creaturæ *rationales* legem æternam participant *rationaliter*, i. e. tamquam legem *formaliter præcipientem* et *moraliter obligantem*, seu tamquam legem stricte dictam. ²⁾

Legi æternæ creaturæ *irrationales* sese conformant *necessitate physica*; creaturæ *rationales* sese *libere* conformare *debent* (N. 337). Quodsi creatura rationalis libertatis abusu huic morali debito se subtrahat, minime tamen *legem æternam effugit*; quia „quantum deficit ex parte actionis, suppletur ex parte passionis, prout scilicet in tantum patiuntur (mali), quod lex æterna dicat de eis, in quantum deficienti facere quod legi æternæ convenit.” ³⁾

2^o *Hinc intelligitur harmonia universi*. — Quum igitur omnes creaturæ per legem æternam, modo uniuscujusque naturæ consentaneo, dirigantur tum in finem cuiuslibet *proprium*, tum in finem *communem totius ordinis creati*, statim intelligitur admirabilis unitas et harmonia mundi physici et moralis. E contra hæc unitas et harmonia insolubile ænigma est philosophiæ incredulæ, ipsamque ad *Monismum* propulit. ⁴⁾

3^o *Ipsæ Deus legi æternæ non subditur*. — Voluntas Dei,

¹⁾ 1. 2. q. 93, a. 4-6. — ²⁾ 1. 2. q. 93, a. 5 et 6; Encycl. *Libertas*, § *Quoniam igitur*. — ³⁾ 1. 2. q. 93, a. 6. — ⁴⁾ Cathrein, I, p. 278.

„cum sit ipsa essentia ejus, non subditur gubernationi divinæ, neque legi æternæ, *sed idem est quod lex æterna.*” ¹⁾ „Unde quod secundum suam voluntatem facit, juste facit; sicut et nos quod secundum legem facimus, juste facimus. Sed nos quidem secundum legem alicujus superioris, *Deus autem sibi ipsi est lex.*” ²⁾

348. Nota pro solvendis difficultatibus.

1^o Non adeo *rem ipsam* quam rei *nomen* impugnant auctores illi, qui docent immanentem actum divinum, quem dicimus legem æternam, a ratione veræ legis deficere, ex eo quod *promulgatio* non fuit æterna, cum ab æterno nulla fuerit creatura, cui promulgaretur. ³⁾

Ut sapienter Suarez monuit, *duplex status in lege est distinguendus*; „unus est mere *interior*, prout lex consideratur in mente legislatoris; alius est *exterior*, prout lex existit extra legislatorem, vel in ipsis subditis vel in aliquo signo manifestante voluntatem legislatoris. Promulgatio ergo, ut ex vi ipsius vocis constat, dicitur respectu legis *externæ*; nam dicit publicationem legis, per quam possit a subditis cognosci. Lex autem *æterna tantum dicit legem in mente Dei conceptam*, et ideo non potest eadem ratio promulgationis ad eam applicari.” ⁴⁾

2^o Duplicem ex diametro sibi oppositam calumniam philosophiæ *Scholasticæ* inferunt ejus adversarii. Nimirum: 1^o doctrina Scholasticorum, juxta philosophum Scholæ historicæ *Stahl*, non satis salvat *libertatem* consiliorum divinatorum; e contra 2^o juxta rationalistam *Ahrens*, fundamenta ordinis moralis et juridici reponit in *libera voluntate divina*.

¹⁾ I. 2. q. 93, a. 4, ad 1. — ²⁾ I. q. 21, a. 1, ad 2. — ³⁾ S. Alphons. lib. 1, N. 72. — ⁴⁾ lib. 1, cap. 11, N. 2; Conf. lib. 2, cap. 1, N. 11.

inadæquatum, sed quatenus spectantur *in subditis*. Et sane, lex *naturalis* est dictamen menti creatæ simul cum lumine naturali rationis impressum, æterno dictamini divino conforme tamquam exemplari suo; lex divina *positiva* est promulgatio legis æternæ per revelationem divinam.

2^o *Leges humanæ* a lege æterna derivantur, sive spectentur in legislatore, sive in subditis; nam a) debent consentire rectæ rationi, quæ est participatio luminis divini; b) ligare nequeunt nisi virtute legis æternæ. ¹⁾

350. Triplici modo leges humanæ derivantur a lege æterna. Nimirum 1^o tamquam a causa *exemplari*, cum nulla lex sit justa, nisi imitetur legem æternam, eique conformetur. 2^o Tamquam a causa *efficiente*, cum omnis vis obligatoria in legislatore humano a lege æterna oriatur. 3^o Quatenus lex æterna, mediante lumine rationis vel revelationis, dictat et approbat quæ et quando leges sint instituenda pro diversitate circumstantiarum, personarum, locorum et temporum. ²⁾

ARTICULUS III.

De naturali promulgatione legis æternæ, seu de lege divina naturali.

351. Prænot. Postquam egimus de lege illa omnium principe, quæ ab æterno est in mente divina, ordo postulat, ut de naturali illius legis participatione in mente creata, seu de lege divina naturali dicamus. Circa hanc legem quæritur: 1^o *In quo consistat*; 2^o *quomodo distinguantur ejus præcepta*; 3^o *utrum revera existat*;

¹⁾ l. 2. q. 93, a. 3. — ²⁾ Sylvius, In l. 2. q. 93, a. 3.

4^o *utrum sit vere lex divina*; 5^o *quænam sint ejus præcipuæ proprietates*; 6^o *quodnam sit ejus supremum principium cognoscitivum*; 7^o *utrum lex naturalis debita sanctione munita sit.*

§ I.

Quid sit lex divina naturalis.

352. Notio legis naturalis. „Lex, cum sit regula et mensura, dupliciter potest esse in aliquo: uno modo sicut in *regulante* et *mensurante* et alio modo sicut in *regulato* et *mensurato*; quia in quantum participat aliquid de regula vel mensura, sic regulatur vel mensuratur. Unde cum omnia, quæ divinæ providentiæ subduntur, a lege æterna regulentur et mensurentur, manifestum est quod omnia participant aliquam legem æternam, *in quantum scilicet ex impressione ejus habent inclinationes in proprios actus et fines*. Inter cætera autem rationalis creatura excellentiori quodam modo divinæ providentiæ subjacet, in quantum et ipsa fit providentiæ particeps, sibi ipsi et aliis providens. Unde et in ipsa participatur ratio æterna, per quam habet naturalem inclinationem ad debitum actum et finem; et *talis participatio legis æternæ in rationali creatura lex naturalis dicitur.*”¹⁾

353. Definitio legis naturalis. *Ordinatio Dei Creatoris ordinem naturalem conservari jubens et perturbari vetans naturali lumine rationis promulgata.*

Explicatur definitio. Dicitur **1^o ordinatio**, et quidem ordinatio obligatoria (N. 332). Dicitur **2^o ordinatio**

¹⁾ 1. 2. q. 91, a. 2.

Dei; est lex *divina*, quia fertur immediate a Deo (N. 335). Dicitur 3^o *Dei Creatoris*; Deus est auctor ordinis *naturalis* et *supernaturalis* (N. 161, seqq.); hanc legem Deus tulit quatenus est auctor *naturæ* seu *Creator*; ipse vero actus creativus, quo creatura *rationalis* prodiit, simul est actus legislativus, quo lex illa fuit condita et promulgata. Dicitur 4^o ordinem naturalem conservari jubens etc.; quo denotatur materia propria, seu *objectum directum* legis naturalis, 1) quod est bonum naturæ rationali, qua tali, conveniens, et malum naturæ rationali, qua tali, repugnans. Itaque quidem lex ista omne bonum naturæ rationali necessarium præcipit; bonum vero non necessarium vel suadet, vel permittit, prout est bonum melius vel non; v. g. præcipit castitatem, suadet virginitatem, permittit matrimonium singulis individuis; attamen lex mere consulens aut permittens non est lex proprie dicta. Quomodo præcipit omne bonum naturæ rationali necessarium, ita quoque vetat omne malum huic naturæ repugnans. — Lex naturalis igitur respicit actus *intrinsece* bonos et malos, quorum bonitas et malitia nequidem a *Dei voluntate* pendet (N. 158); unde „in hoc differt lex naturalis ab aliis legibus, quod aliæ faciunt esse malum quod prohibent, et necessarium vel honestum quod præcipiunt; hæc vero supponit in actu seu objecto honestatem quam præcipiat, vel turpitudinem quam prohibeat.” 2) Dicitur 5^o naturali lumine rationis promulgata; „promulgatio legis naturæ est ex hoc ipso, quod Deus eam mentibus hominum inseruit naturaliter cognoscendam.” 3) Deus nimirum hanc

1) Dicitur *objectum directum*; nam *indirecte* lex naturalis etiam materiam legum *positivarum* respicit. — 2) Suarez, lib. 2, cap. 7, N. 1. — 3) I. 2. q. 90, a. 4, ad 1.

legem promulgat infundendo lumen naturale rationis; hinc obligatio *objectiva* statim exsurgit respectu omnium, qui participant naturam rationalem; deinde cujusque ratio individua, de facto legem *cognoscens*, applicat obligationem et in *subjectivam* convertit (N. 339).

Ex dictis colligitur hanc „*participationem legis æternæ in rationali creatura*” merito dici legem *naturalem*; siquidem ejus *lator* est *auctor naturæ*, ejus *materia* est *ordo naturalis*, ejus *præco* est *ratio naturalis*, quæ „altioris est vox atque interpretis rationis, cui mentem libertatemque nostram subjectam esse oporteat. ¹⁾

354. Differentia inter Legem æternam et legem naturalem. Quamvis lex æterna *strictiori sensu* accepta (N. 344) et lex naturalis *eandem materiam* habeant, adeoque lex naturalis *imago* sit legis æternæ, inter se tamen differunt. Siquidem:

1^o Prior est lex omnium *prima et imparticipata*; altera vero est *participata* et, tamquam *effectus* a sua causa, derivatur a lege æterna. 2^o Prior est *æterna, increata*; altera est *temporalis, creata*. 3^o Prior est *divina*, non solum quia *immediate* a Deo fertur, sed etiam quia *in Deo* est et realiter cum divina essentia identificatur; e contra lex naturalis solummodo divina est, quia *Deus* est ejus *auctor immediatus*; non tamen *in Deo* est, sed in mente creata.

§ II.

Quomodo distinguantur legis naturalis præcepta.

355. Prænot. Licet lex naturalis sit *una*, in quantum omnia præcepta ejus ad *unum primum præceptum*

¹⁾ Encycl. *Libertas*, § *Quoniam igitur*.

tum referuntur, et ad unum ultimum finem ordinantur, ipsa tamen praecepta naturalia diverso modo inter se distinguuntur:

356. A. Secundum connexionem cum principio supremo, in praecepta primaria, secundaria et tertiaria. ¹⁾

Primaria sunt, quae primo intuitu innotescunt; quae sunt haec universalia morum principia: *bonum est faciendum, malum vitandum — serva ordinem — quod tibi non vis fieri alteri ne feceris* etc.

Secundaria sunt, quae ex primariis, tamquam ex principiis per se notis, *immediato ac facili* discursu deducuntur. Talia sunt praecepta Decalogi, excepto praecepto tertio, quatenus determinat speciale tempus sanctificandum.

Tertiaria sunt, quae ex primariis nonnisi *mediate ac difficiliore* discursu deducuntur. Talia sunt v. g. nonnulla praecepta, quae vetant hunc illumve contractum tamquam usurarium. ²⁾

B. Secundum connexionem cum natura hominis, in praecepta absoluta et conditionata.

Absoluta sunt, quae *immediate* fundantur in natura hominis; tale est praeceptum colendi Deum, prohibitio blasphemiae etc.

Conditionata sunt, quae nonnisi *mediate* in natura hominis fundantur, mediante nempe aliquo facto sive naturali, sive etiam supernaturali. Tale est praeceptum servandi promissum, si quis velit promittere, credendi ali-

¹⁾ I. 2. q. 94, n. 4 et 6; q. 100, a. 1. — ²⁾ Praecepta tertiaria, quae nonnisi *probabiliter* ex primariis deducuntur, non inducunt obligationem *subjectivam* (N. 339), quia nullus per praeceptum ligatur, nisi *mediate scientia* illius praecepti (*De verit.* q. 17, a. 3). Unde in hypothese quod tale praeceptum *revera* existat, illius tamen transgressio *ad summum* erit peccatum *mere materiale*. Vide Waffelaert, *De dubio solvendo*, N. 77.

quam veritatem, si Deus loquatur. — Patet præcepta conditionata transire in absoluta, conditione verificata.

C. *(Secundum triplicem hominis inclinationem, seu potius triplicem inclinationis gradum, in præcepta secundum naturam substantiæ, secundum naturam animalis, secundum naturam rationis.)* = v. de huiusmodi legem

„Inest enim primo inclinatio homini ad bonum secundum naturam, in qua communicat cum omnibus substantiis, prout scilicet quælibet substantia appetit conservationem sui esse secundum suam naturam; et secundum hanc inclinationem pertinent ad legem naturalem ea, per quæ vita hominis conservatur, et contrarium impeditur.” Huc spectant præcepta temperantiæ, fortitudinis etc.

„Secundo inest homini inclinatio ad aliqua magis specialia secundum naturam, in qua communicat cum cæteris animalibus,” nimirum inclinatio ad conservationem speciei per generationem et educationem proles; huc pertinent præcepta castitatis etc.

„Tertio modo inest homini inclinatio ad bonum secundum naturam rationis, quæ est sibi propria; sicut homo habet naturalem inclinationem ad hoc quod veritatem cognoscat de Deo, et ad hoc quod in societate vivat; et secundum hoc ad legem naturalem pertinent ea, quæ ad huiusmodi inclinationem spectant, utpote quod homo ignorantiam vitet, quod alios non offendant, cum quibus debet conversari, et cætera huiusmodi.” ¹⁾ Huc spectant præcepta religionis, pietatis, justitiæ etc.

D. *Secundum diversas relationes naturæ rationalis, in*

¹⁾ 1. 2. q. 94, a. 2; Conf. Suarez, lib. 2, cap. 8, N. 4.

Handwritten notes:
 in huiusmodi
 legem naturalem
 secundum naturam
 animalis
 secundum naturam
 rationis

præcepta, quæ versantur circæ Deum, circæ nosmetipsos
et circæ proximum.

§ III.

Utrum revera existat lex divina naturalis.

357. Prænot. Hactenus de *notione* legis naturalis egimus; hic autem quæritur utrum revera talis lex *existat*. Porro existentia talis legis tria importat, scil. 1^o *esse aliquam ordinationem divinam*, quæ 2^o *in natura fundatur*, et 3^o *naturali lumine rationis promulgatur*.

358. Errores. A. Existere aliquam legem *divinam* negant Materialistæ, Athei, et quotquot hominem divinæ providentiæ et gubernationi subtrahunt. Huic impietati, ut § seq. videbimus, consentit Rationalismus cum Liberalismo.

B. Aliquam legem *in natura fundari* negant Positivistæ morales (N. 141, seqq.).

C. *Naturalem promulgationem* negabant Traditionalistæ, juxta quos in præsentī statu naturæ lapsæ lex naturalis nonnisi per supernaturalem revelationem innotescit. Contra istos errores existentiam legis divinæ naturalis demonstrabimus.

PROPOSITIO.

Existit in homine lex divina ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans, naturali lumine rationis promulgata.

359. Prob. I. *Ex divinis perfectionibus.* Deum esse universorum *Creatorem et Gubernatorem*, in primis

vero creaturæ rationalis, constat ex *Theolog. natur.* ¹⁾ Hoc autem posito, repugnat divinæ sapientiæ, sanctitati et providentiæ creaturas non gubernare secundum *ordinem necessarium* ab intellectu divino stabilitum. Atqui medium per se congruum ac naturæ rationali accommodatum est *sola lex moralis*, ~~est~~ quidem primarie lex moralis *naturaliter promulgata*. Ergo.

Prob. Min. pars I. *Medium congruum est sola lex moralis*. Siquidem *normæ physicæ*, quibus a Creatore irrationalia in finem moventur et *ordo physicus* conservatur, non congruunt *creaturæ rationali et liberæ*; talis quippe creatura, salva libertate, non alia ratione in finem dirigi potest, nisi *lege morali*, quæ, salva libertate physica, voluntatem ordini servando morali vinculo ligat.

Prob. Min. pars II. *Medium congruum est primarie lex naturaliter promulgata*. a) ~~„~~ *Omnibus rebus naturalibus insunt quædam principia*, quibus non solum operationes proprias efficere possint, *sed quibus etiam eas convenientes fini suo reddant.* ²⁾ **C**um igitur in creaturis irrationalibus lex æterna participetur per *instinctum naturalem*, quo physice necessitantur ad actus fini convenientes, oportet ut lex æterna modo *rationali*, seu tamquam *lex proprie dicta*, participetur *naturaliter* in creatura rationali; secus enim natura rationalis, *et quidem sola*, deficeret in aliqua re suo fini et essentiæ omnino necessaria. — b) Accedit quod nemo intelligit se lege divina *positiva* adstringi, nisi *antecedenter* ad quamcumque legem positivam *naturaliter* cognoscat *naturalem* obligationem credendi Deo revelanti, obediendi Deo præcipienti.

¹⁾ c. *Genet.* lib. 3, cap. 111 et 112. — ²⁾ *Supplem.* q. 65, a. 1.

X **Prob. II. Ex testimonio conscientiae.** Ratio practica non solum *indicat* quid ordini naturali conveniat vel repugnet (N. 142), sed simul voluntati *intimat obligationem* servandi illum ordinem. Quodsi voluntas huic voci obsistat, conscientia remordet, et pœnæ formidine animus percellitur. Atqui lex ista, per rationem practicam voluntati intimata, est lex *divina*, et quidem *naturaliter* promulgata.

Prob. Min. pars I. *Est lex divina.* Siquidem: a) non est lex rationis *autonomæ*; nam ratio humana non inducit propriam rationem legis, nisi quatenus applicat præceptum alicujus superioris, ut N. 362 demonstrabitur. — b) Non est lex alicujus *legislatoris humani*; nam omnino *universalis* est, non solos subditos, sed et principes, non solos homines in societate viventes, sed et barbaros ubicumque comitans, non solos actus externos respiciens, sed et internos, qui humanum judicem penitus effugiunt. „Omnes gentes, inquit Tullius, et omni tempore una lex et sempiterna et immutabilis continebit, unusque erit communis quasi magister et imperator omnium Deus. Ille legis hujus inventor . . . , cui qui non parebit, ipse se fugiet, ac naturam hominis aspernatus hoc ipso luet maximas pœnas, etiam si cætera supplicia, quæ putantur, effugerit.”¹⁾

o **Prob. Min. pars II. Est lex naturaliter promulgata.** Etenim: a) illa dictamina rationis practicæ sunt *universalia, constantia et invincibilia*, adeoque in ipsa natura rationali *fundata*. — b) Illa dictamina ab homine *naturaliter efformantur*. Siquidem homo, usum rationis adeptus, percipit quid ordini naturali consonet vel re-

¹⁾ De republ. lib. 3, apud Lactantium, *Instit. div.* lib. 6, cap. 8.

pugnet (N. 165), et eo ipso *materiam* legis naturalis *naturaliter* cognoscit. Hoc autem posito, homo facile intelligit *Creatorem* infinite sapientem et sanctum *necessario velle* hujus ordinis conservationem, et eo ipso etiam *formam* seu vim obligatoriam legis *naturaliter* cognoscit. „Est igitur hæc non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus; verum *ex natura ipsa arripimus, hausimus, expressimus*, ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus.” ¹⁾

Prob. III. *Ex communi persuasione hominum.* „Cum enim gentes, quæ legem (revelatam) non habent, *naturaliter* (docente natura rationali) ea, quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem (revelatam) non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis *scriptum in cordibus* suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum.” ²⁾ Quam intimam generis humani persuasionem testantur non solum *philosophi*, qui inter Gentiles summa laude claruerunt, ut v. g. Plato, Aristoteles, in primis vero Tullius, qui, ut Lactantius observat, *pene divina voce* de hac lege disseruit, sed testantur quoque *monumenta historica*, ex quibus constat homines semper et ubique Deum credidisse bonorum remuneratorem, malorum vindicem, et obtulisse sacrificia ad placandum Numen offensum.

*Topik. Topik
L. Bonhôte*

§ IV.

Utrum lex naturalis sit vere lex divina.

360. Prænot. Etsi ex modo disputatis *divina indoles* legis naturalis jam extra controversiam est, ma-

¹⁾ Tullius, *Pro Milone*, cap. 4. — ²⁾ *Rom.* II, 14, 15. Egregie hunc textum explicat Franzelin, *De Deo uno*, thes. III.

gis tamen adhuc declaranda est contra illos philosophos, qui *obligationem naturalem* quidem non inficiantur, sed *obligationis principium* non in Deo, sed in homine ponunt.

361. Errores huc spectantes *Moralis independentis* nomine veniunt: ¹⁾

A. *Kantianismus* seu *autonomia rationis*. ²⁾ Admittit Kant existere *legem obligantem in natura fundatam ac naturaliter cognitam*; profitetur Deum esse causam primam, rationem humanam esse creatam, sed *Deo denegat potestatem legislativam, et hanc tribuit soli rationi humanæ*, quæ, a quacumque auctoritate soluta, *ex proprio suo fundo haurit vim obligatoriam*. Vide N. 148 in fine, pag. 124. ³⁾

Itaque legi divinæ substituens legem rationis humanæ, omne vinculum inter *moralitatem* et *religionem* dissolvit, plenam rationis humanæ a Deo independentiam proclamavit, fontemque aperuit, ex quo pestifera *Liberalismi* principia in omnes civitatis ordines redundarunt. ⁴⁾

B. *Vasquez*, † 1604, docet *legem naturalem* ejusque obligationem ex intrinsecis rerum relationibus seu *ex ipsa natura*, tamquam ex proprio principio oriri, ita ut, *etiam Deo non jubente*, ex ipsa rerum natura veri nominis obligatio proflueret. ⁵⁾ — Celeberrimi hujus theologi sententia ne confundatur cum *autonomia Kantiana*. Etenim Vasquez Deo non denegat auctoritatem legislativam, neque contendit rationi humanæ *ex se* competere vim obligato-

¹⁾ Multiplex gradus in errore *Moralis independentis* potest distingui: siquidem proclamari potest independentia 1° ab Ecclesia Catholica, et habes *Protestantismum*, 2° a divina revelatione, et habes *Deismum*, 3° a quacumque lege divina, et habes *Kantianismum*, 4° a quocumque principio metaphysico, et habes *Philosophiam positivisticam*. — ²⁾ Quomodo Kantiani errent circa normam, quæ bonum et malum *discriminat*, vide supra N. 148 in fine. — ³⁾ Conf. Stüekl, § 19; Meijer, N. 253. — ⁴⁾ «Revera quo spectant in philosophia *Naturalistæ* seu *Rationalistæ*, eodem in re morali ac civili spectant *Liberalismi* fautores, qui posita a Naturalistis principia in mores actionemque vitæ deducunt. — Jamvero totius rationalismi *humane principatus rationis* caput est: quæ obedientiam divinæ æternæque rationi debitam recusans, sui que se juris esse decernens, ipsa sibi sola efficitur summum principium et fons et iudex veritatis.» *Encycl. Libertas*. — ⁵⁾ In 1. 2. Disp. 150, cap. 3.

riam, sed docet *antecedenter ad ordinationem divini intellectus et voluntatis*, ex actuum conformitate vel diffinitate *cum natura rationali* obligationem oriri, hanc obligationem a ratione *cognosci*, et in hoc proprie consistere legem naturalem. — *Divina voluntas* hanc obligationem approbat et vult, et ita inducit obligationem novam. — Inter recentiores philosophos catholicos ad naturam rerum confugiunt *Gerdil*, *Chastel* etc.

Assentiunt Grotius, ¹⁾ Guizot ²⁾ et plurimi ex *Schola electica* in Gallia, ut Jouffroy, ³⁾ Saisset ⁴⁾ etc.

C. *Utilitarismus*, *Philosophia Positivismi* et *Ethica darwinistica* (N. 148, A) obligationem generatim explicant per necessitatem ponendi vel omittendi actionem, quia *prodest* vel *nocet felicitati* sive privatae sive sociali. ⁵⁾ — Hisce Materialistarum commentis non immorabimur; ⁶⁾ siquidem prima fronte absurditatem producat, et iisdem argumentis refelluntur ac duae opiniones sub A et B, quas duplici Propos. perstringemus.

¹⁾ *De jure belli ac pacis*, Proleg. 11. — ²⁾ *Histoire de la civilisation en Europe*, Ve leçon. — ³⁾ *Cours de droit naturel*, leçon 11e. — ⁴⁾ *Morale*, V, § I. — ⁵⁾ Atheisticam obligationis explicationem tentavit J. P. N. Land, in periodico *De Gids*, April 1874, *Kritische Zedeleer*. — ⁶⁾ Quoad sententias istas vide Cathrein, I, pag. 295. — « Le matérialisme athée, inquit Card. Dechamps, qui se donne naïvement aujourd'hui le nom de *positivisme*, comme s'il n'y avait de positif, de constaté, de démontré, que ce qui se voit et ce qui se touche, n'est qu'une doctrine voilée par des phrases, sous lesquelles se cache la révolte contre le bon sens et contre la conscience positive du genre humaine. La doctrine, qui nie Dieu, sa puissance, sa sagesse et sa bonté, en présence des harmonies du ciel et de la terre; la doctrine, qui nie l'âme, en présence de toutes les générations agenouillées aux pieds des tombeaux, n'est selon le mot de Lacordaire, qu'une *canaille de doctrine*, enfantée par la peur de la responsabilité de l'homme et de la justice de Dieu. » *Le libéralisme*, Œuvres compl. IX, pag. 255.

Bentham
 De fundamentis des morales
 a deus de slechte gevalge die de fundamente vorst brengen op
 va nature — interne mye 18
 6. die de slechte gevalge die de fundamente van nature
 die opstellen zouwen de een gebronne norme deus en meer — interne
 deus de slechte gevalge die de fundamente van nature
 deus de slechte gevalge die de fundamente van nature

PROPOSITIO I.

Tegen Kant

Ratio humana, nedum legislatrix suprema sit, nullam ex semetipsa obligationem progignere valet.

362. Prob. pars I. *Non est legislatrix suprema.*

1^o Id enim repugnat ordini essentiali qui est inter creaturam et Creatorem. Siquidem Deus, causa prima, est essentialiter *Dominus absolutus* omnis creaturæ. 1) Etenim ille est essentialiter dominus absolutus, a quo omnia essentialiter absolute pendent. Atqui a Deo, causa prima, omnia essentialiter absolute pendent (Conf. *Theol. natur.*). Ergo ratio humana, quemadmodum declinare nequit ideam *Creatoris*, a quo omnia sunt creata, ita pariter declinare nequit ideam *Domini absoluti*, cui omnia servire debent.

2^o Id repugnat *ordini finali* creaturarum. Siquidem Deus, ut N. 12—N. 18 demonstravimus, est finis absolute ultimus totius creationis. Hoc autem importat, ut omnia *subordinentur* gloriæ divinæ, sive per subordinationem *liberam*, sive per subordinationem *coactam* (N. 33).

3^o *Opinio Kantiana innititur falso fundamento.* Siquidem statuit: *Homo, qua ens rationale liberum, est sibi ipsi finis.* 2) Atqui hoc principium sensu adversariorum acceptum omnino absurdum est. Etsi enim homo aliquo sensu sibi finis est, quatenus creaturæ irrationales sunt

1) Ex eo quod Deus hominem creavit, non sequitur Deo imputanda esse peccata hominis, ut insulse blasphematur Land, in De Gids, l. c. Conf. *Theol. natur.* — Contra hunc auctorem prætere observetur *titulum*, vi cuius Deus Creator legem fert creaturis, non reponi in Dei *potentia* et creaturæ *imbecillitate*, sed in *absoluto dominio*, quod Creatori respectu creaturæ competit.

— 2) *Grundlegung zur Metaph. der Sitten.*

Hund

Handwritten notes:
 Gewelch havelch sijn die wolkomen uitgeschieding d'ing = mens
 om andere na te volgen.
 L'ing, volge de havelch die om intene redene om de tinedag
 die y'voorzaghe = die hare toe gedelyt
 die y'voorzaghe = die hare toe gedelyt
 die y'voorzaghe = die hare toe gedelyt

propter hominem (N. 19, seq.), et ipse, utpote libertate gaudens, in operando varios fines intendere potest; homo tamen est finis mere *subordinatus*; nam dignitas humana non est nisi deficiens valde similitudo excellentiæ divinæ, cujus gloria extrinseca est finis absolute ultimus.

4^o *Ducit ad Pantheismum et Fatalismum.* Et sane, a) ratio a quacumque auctoritate soluta, et simul suprema auctoritate vestita, sibi arrogat naturam divinam.

— b) *Parens imperii categorici* candide fatetur se non posse comprehendere possibilitatem ac necessitatem imperii moralis, sed solam comprehendere ejus incomprehensibilitatem. — Ergo cæcæ cuidam necessitati voluntatem submittit. ¹⁾

Prob. pars II. *Ex semetipsa nullam obligationem profiguere valet.* Hoc demonstratur *ex natura obligationis moralis.* Siquidem obligatio necessario supponit auctoritatem in obligante, subjectionem in obligando, adeoque distinctionem inter superiorem et subditum: seclusa enim auctoritate, nulla est ratio cur unus magis teneatur parere alteri, quam e converso. Atqui ratio humana non distinguitur ab homine, nec est homini superior, cum non sit nisi ejus facultas. Ergo. ²⁾

¹⁾ Huc spectat Prop. III Syllabi: "Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex."

— ²⁾ Suarez, lib. 1, cap. 8, N. 3; Syllab. LVI. Audiatur Prop. XIII: "Humane rationis præscriptio vim habere legis non potest, nisi quia altioris est vox atque interpres rationis, cui mentem libertatemque nostram subjectam esse oporteat. Vis enim legis cum ea sit, officia imponere et jura tribuere, tota in auctoritate nititur, hoc est in vera potestate statuendi officia describendique jura; item poenis præmiisque imperata sancienti: quæ quidem omnia in homine liquet esse non posse, si normam actionibus ipse suis summus sibi legislator daret." Encycl. *Libertas*. — Vide Stimmen aus Maria-Laach, XXXV, *Unabhängige Moral im Lichte des päpstlichen Rundschreibens über die menschliche Freiheit.*

Paulden
patiens is de Innoce die de Geronte ap an uitaient
dee y enomen wonen feroente door t balk. e ofsoerd
het pakt sult sup ofook vore hrom hru (de) Buis furing
Goedem Schudbel gizeg. vers onvers. balk - coon
tem ee geconventu leze que verpleet, iniqu ap

Præterea lex rationis autonomæ nulla est munita sanctione, qua homines in officio contineat. 1)

PROPOSITIO II.

Natura rationalis, vel actuum humanorum cum illa natura conformitas vel difformitas, nullam obligationem stricte dictam inducit independentem ab intellectu et voluntate divina.

363. Prob. I. Eodem argumento, quo demonstravimus impotentiam *rationis*. Vide *Prop. præc.*

Prob. II. „*Ab inconvenientibus . . .*; quia sequitur non minus proprie habere *Deum* suam legem naturalem, quæ ipsum liget, et obliget, quam homines, quod videtur absurdum.” 2)

Prob. III. *Fundamentum opinionis contrariæ est infirmum. Licet actuum humanorum bonitas et malitia intrinseca non pendeat ab aliqua divina lege stricte dicta, sed ex eorum conformitate vel difformitate cum natura rationali adæquate spectata, ita ut ipsa natura sit proxima norma bonum et malum discriminans* (N. 156—N. 160), imo ipsius legis naturalis *fundamentum*; inde non sequitur naturam rationalem esse *legem ipsam*. Ita indigentia pauperis conjuncta cum facultate divitis est *fundamentum* obligationis ad eleemosynam, non tamen est lex ipsa. Pari modo natura rationalis et actuum humanorum convenientia et repugnantia sunt fundamen-

1) Kant sanctionem quidem posuit in naturali harmonia virtutis et felicitatis, quam perficiet *Deus*. — Attamen *existentia* Dei juxta Kant ratione *theoretica* demonstrari nequit, sed mere est postulatam rationis *præcticae*, cæca fide credenda. — Præterea non intelligitur cur *Deus* suam sanctionem apponeret legi, non suæ, sed prorsus *alienæ* — 2) Suarez, lib. 2, cap. 5.

tum legis naturalis: Deus siquidem in hypothesis *liberæ* creationis *necessario* præcipit *ordinis naturalis* conservationem; hæc autem Dei *voluntas* est *causa efficiens* legis naturalis. ¹⁾

364. Nota pro solvendis difficultatibus.

1^o Contra *existentiam* legis naturalis objici nequit eam deficere in infantibus. Cum enim illa lex in singulis ab Auctore naturæ promulgetur ab instanti infusionis animæ rationalis, lex naturalis formaliter existit in ipsis pueris. Quoniam tamen pueri illam legem non cognoscunt, hinc obligatio passiva quoad istos pueros non est nisi materialis seu in actu primo (N. 339), adeoque violatio legis non nisi peccatum materiale constituit. Qui tamen puerum ad hujus legis violationem induceret, formaliter peccaret.

2^o Contra *divinam indolem* frustra objiciunt rationem practicam aliquando bonum præcipere et malum prohibere quin de Deo cogitet. Ut enim Liberatore observat: „Etsi nos quandoque, in ejusmodi efformandis judiciis non cogitamus de Deo explicite et distincte, semper tamen cogitamus implicite et confuse. Semper enim in illis involvitur obscurus saltem et indistinctus conceptus alicujus occultæ potestatis, quæ nobis imperet, quæque objective inspecta, et in se non est aliud nisi Deus.” ²⁾

Hinc admitti nequit peccatum *pure philosophicum* seu actus, qui repugnat naturæ rationali et rectæ rationi, quin simul sit *offensa Dei*. Contrarium igitur merito damnavit Alexander VII, a^o 1690. ³⁾

3^o Quamvis homo sibi aliquam obligationem impo-

¹⁾ Suarez, lib. 2, cap. 5. — ²⁾ N. 91. — ³⁾ Vide S. Alphons. lib. 2, N. 11; Ballerini, *De peccatis*, N. 40, seqq.

nere possit, v. g. per aliquem contractum, hoc non exinde est, quasi homo sibi legem conderet, sed *ex aliqua lege præexistente*; in casu posito ex lege naturali, quæ præcipit pacta servare.

§ V.

Quænam sint præcipuæ proprietates legis naturalis.

365. Prænot. Demonstrata jam existentia legis naturalis ejusque indole declarata, restat ut dicamus de præcipuis ejus proprietatibus, quæ sunt immutabilitas et perspicuitas.

SECTIO I.

Legis naturalis immutabilitas.

366. Prænot. Pro recta quæstionis intelligentia distinguas inter mutationem improprie dictam et proprie dictam, necnon inter mutationem proprie dictam ab intrinseco et ab extrinseco.

Mutatio improprie dicta habetur quando legi naturali per legem positivam nonnulla superadduntur; vel quando mutatur ipsa materia, ita ut per mutationem illam desinat esse legis naturalis objectum. — Legem naturalem pati mutationem improprie dictam, ex infra dicendis patebit. — Mutatio proprie dicta habetur, quando materia manet eadem, et equidem cessat lex.

Mutatio proprie dicta ab intrinseco habetur, quando lex, prius rationabilis et utilis bono communi, postea irrationabilis fit et noxia. — Est ab extrinseco, quando illa mutatio inducitur ab ipso legislatore, sive per abrogationem, qua tollitur tota lex, sive per derogationem,

qua tollitur pars legis, sive per dispensationem qua, ipsa lege manente, aliqua persona particularis ab ejus obligatione eximitur.¹⁾ — De hac duplici mutatione proprie dicta intelligatur Propositio.

PROPOSITIO.

Lex naturalis tum ab intrinseco, tum ab extrinseco immutabilis est.

367. Prob. pars I. Est immutabilis ab intrinseco.

Lex naturalis fundatur in rerum essentiis, et nonnisi ea præcipit vel prohibet, quæ naturæ rationali et essentialibus ejus relationibus necessaria vel contraria sunt.

Atqui natura et essentialia relationes sunt immutabiles.

Ergo lex præcipiens vel prohibens, quæ his immutabilibus relationibus intrinsece necessaria vel contraria sunt, ex se irrationalis et noxia fieri nequit.

Prob. pars II. Est immutabilis ab extrinseco. Bonitas et malitia actuum, quos lex naturalis præcipit vel prohibet, non pendet a libera Dei voluntate, sed est absolute immutabilis. Conf. N. 142 et seqq. Itaque Deus, si legem naturalem mutaret, eo ipso præciperet vel permitteret omissiones et actiones intrinsece turpes. Atqui hoc repugnat divinis perfectionibus; „et ideo naturalis lex immobilis perseverat, quod habet ex immobilitate et perfectione divinæ Rationis instituentis naturam.”²⁾ Quemadmodum igitur in hypothesi creationis naturæ rationalis Deus illam legem necessario tulit, ita in hypothesi conservationis naturæ rationalis Deus illam legem necessario conservat. — Hinc præclare Tullius: „Huic legi

¹⁾ Suarez, lib. 2, cap. 13, N. 1. — ²⁾ 1. 2. q. 97, a. 1, ad 1.

nec abrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest. Nec vero aut per senatum, aut per populum solvi hac lege possumus. . . Nec erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia post-hac, sed et omnes gentes et omni tempore una lex et sempiterna et immutabilis continebit." 1)

368. Nota pro solvendis difficultatibus.

1^o Lex naturalis proprie non mutatur, quando ei per legem positivam, sive divinam sive humanam, *nonnulla* ^{= null} *superadduntur*. Quod ut intelligas, observa: Lex naturalis quædam *positive præcipit* — quædam *positive concedit* — circa multa vero se habet *mere negative*, seu est *mere non prohibens*. — Jam vero ubi lex positiva aliquid irritat, quod lege naturali validum est, vel aliquid prohibet, quod lege naturali non est prohibitum, nullatenus mutatur lex naturalis; ratio est, quia in casu lex naturalis concedit vel non prohibet rem fieri posse, non vero præcipit rem fieri debere. Hinc lex ecclesiastica, irritans matrimonium sine testibus celebratum, non mutat legem naturalem, juxta quam tale matrimonium est validum. Pariter lex civilis, prohibens occupare res nullius, non mutat legem naturalem, quæ talem occupationem non prohibet. 2)

2^o Etsi nonnulla præcepta naturalia versantur in materia, quæ nullam mutationem recipit, v. g. præceptum colendi Deum, non blasphemandi, multa tamen præcepta respiciunt materiam, quæ mutationi obnoxia est, et ideo legi *subtrahi* potest, quin mutetur lex ipsa. Nimirum:

1) De republica, lib. 3, apud Lactantium, Instit. lib. 6, cap. 8. — 2) De legib. lib. 2, cap. 14, N. 14 et 19. — Vide Van Gestel, De justitia et lege civili, LI.

A. Circumstantiæ possunt esse tales, ut lex totum suum robur retinens, suam tamen applicationem ad talem casum non habeat. Siquidem una et eadem actio sub uno respectu ac relate ad certa rerum adjuncta est intrinsece mala, et sub hoc respectu semper manet prohibita; sub alio respectu ac relate ad alia adjuncta non est intrinsece mala, et sub hoc respectu nunquam fuit prohibita. Lex naturalis jubet depositum reddi; attamen furioso gladium depositum reddere peccatum est, officium non reddere. Lex naturalis prohibet matrimonium inter fratres et sorores; matrimonium tamen inter filios et filias Adæ erat licitum, propter necessariam propagationem generis humani. Quocirca merito observat Suarez, multa præcepta naturalia a nobis *nimis generaliter exprimi*; quo fit, ut lex naturalis *nostris formulis* v. g. „*redde depositum*” non *adæquate* enuntietur; hinc exceptiones, quæ occurrunt, non sunt proprie exceptiones ipsius legis prout *in se est*, sed exceptiones a lege *formulis nostris inadæquate expressa*. ¹⁾

B. Sunt multa objecta, quæ mala sunt *propter connexum jus alienum*. — Atqui Deus per potestatem *dominativam* vi *supremi dominii*, quod in omnes creaturas habet, jura concedere et auferre potest. Quando Deus præcepit Abrahæ interficere filium, id fecit tamquam *Dominus vitæ et mortis*; simili modo non dispensavit cum Hebræis, quando Ægyptiorum spolia illis concessit, sed vel tamquam *supremus Dominus* donavit, vel saltem tamquam *supremus Judex* reddidit eis mercedem laborum suorum. ²⁾ Eadem ratione explicatur quomodo Deus possit dissolvere matrimonium. ³⁾

¹⁾ Suarez, lib. 2, cap. 13, N. 6. — ²⁾ Suarez, lib. 2, cap. 15, N. 19 et 20; 1. 2. q. 94, a. 5, ad 2. — ³⁾ Suarez, lib. 2, cap. 15, N. 28.

Deus est
 creator
 et conservator
 mundi
 et omnium
 creature
 et non
 creator
 mundi
 et omnium
 creature
 et non

Deus est
 creator
 et conservator
 mundi
 et omnium
 creature
 et non
 creator
 mundi
 et omnium
 creature
 et non

Deus est
 creator
 et conservator
 mundi
 et omnium
 creature
 et non
 creator
 mundi
 et omnium
 creature
 et non

C. Quandoque lex naturalis pro objecto habet *aliquam obligationem, quam homo cum Deo libere contraxit*, v. g. per votum. — Atqui Deus potest illud *debitum remittere*. Unde quando Summus Pontifex in votis dispensare dicitur, nomine Dei *declarat* cessare jus divinum; ¹⁾ vel, ut rem *Wirceburgenses* explicant: „Pontifex vi jurisdictionis, quam ut Christi vicarius habet in voluntates hominum quoad sacra sibi subjectas, *rescindit* actum voluntatis, quo quis vovit.” ²⁾ Hinc, sublato ipso voto, sponte corrui ipsa obligatio.

SECTIO II.

Legis naturalis perspicuitas.

369. Prænot. *Duplici modo promulgata est lex naturalis*, scil. naturaliter et supernaturaliter. — ^{1^o} *Naturaliter*, ut patet ex iis, quæ § III disputavimus. — ^{2^o} *Supernaturaliter* seu per *revelationem* divinam, ut demonstrant *Theologi*. — Et quidem in præsentī statu naturæ lapsæ revelatio divina *moraliter* necessaria est, ut lex naturalis ab omnibus sufficiente integritate, facile, absque dubitatione et errore cognoscatur. Vide Conc. Vatic. Constit. „*Dei Filius*,” cap. 2. ³⁾

370. Quæstio. Attamen variis de causis contingere potest, sufficiente etiam promulgatione facta, legem equidem a subditis ignorari. Inde quæstio: *An et quatenus legis naturalis præcepta in præsentī statu naturæ humanæ ignorari possint.*

In ordine ad hanc questionem distinguas inter præcepta *primaria*, *secundaria* et *tertiaria* (N. 356, A).

¹⁾ Suarez, lib. 2, cap. 15, N. 27. — ²⁾ *De leg.* N. 25. — ³⁾ *c. Gent.* lib. 1, cap. 4.

solum, ut supra N. 371 monuimus, apud barbaros, sed etiam apud nationes civilisatas et christianas. Hinc in pueris admitti potest ignorantia invincibilis quoad malitiam pollutionis. Similiter a gravibus auctoribus admittitur possibilitas ignorantiae invincibilis in homine rudi quoad malitiam *cogitationum pravarum et desideriorum inefficacium.* ¹⁾

b) Propter aliquam circumstantiam apparenter excusantem; talis circumstantia potest obscurare præceptum, mentesque simplices in errorem ducere. Exemplum habes in furto ad succurrendum graviter indigenti, in mendacio ad salvandam vitam innocentis. ²⁾

Prob. pars III. Quoad præcepta tertiaria etiam ignorantia invincibilis est admittenda. Ista enim præcepta ex primariis et secundariis nonnisi difficiliori et intricatissima sæpe ratiocinatione deducuntur, ita ut opus sit acri vi intelligendi. At vero non omnes hanc dotem a natura acceperunt. Hinc S. Thomas: „Quædam vero sunt, quæ subtiliori consideratione rationis a sapientibus judicantur esse observanda; et ista sic sunt de lege naturæ, ut tamen indigeant disciplina, qua minores a sapientibus instruantur.” ³⁾

Id ipsum, quod a priori seu ex naturali conditione humani intellectus probatur, etiam a posteriori seu a quotidiana experientia est confirmatum; hæc enim testatur ipsos viros ingenio, scientia et sanctitate præstantes circa remotiores conclusiones errasse. ⁴⁾ Non diutius immorabimur opinioni Rigoristarum et Lovaniensium, qui nullam ignorantiam invincibilem practicam in jure

¹⁾ Lehmkühl, I, N. 188. — ²⁾ S. Alphonsus, *Homo Apostol.* I, N. 5. —

³⁾ l. 2. q. 100, a. 1. — ⁴⁾ S. Alphons. lib. 1, N. 174.

*præcepta tertiaria hanc. si illi quibus scire non debet ut a deo dicitur
non debet scire et nisi sciret eum in deo non debet scire de deo
necesse consilio*

PROPOSITIO.

Primum principium cognoscitivum legis naturalis recte ponitur: Bonum est faciendum, malum est vitandum.

375. Prænot. Bonum hic intelligatur intrinsicum; siquidem objectum directum legis naturalis non est bonum *quodcumque*, sed solum bonum naturæ rationali *qua tali* conveniens. Præterea per bonum intrinsicum intelligatur solum bonum necessarium seu tale bonum, cujus omissio sit intrinsece turpis; siquidem est distinguendum inter bonum liberum et bonum necessarium (N. 353, coll. N. 176, B).

376. Prob. Primum principium cognoscitivum legis naturalis debet esse 1^o universalissimum, ita ut nulli superiori principio subjiciatur; secus enim non esset primum; 2^o cognitu facillimum; secus non esset primum cognitum; 3^o adæquatam, seu omnia præcepta et prohibitiones in se complectens; secus non esset principium totius legis. Atqui principium in Prop. positum tres recensitas condiciones adimplet. Ergo.

Prob. Min. pars I. Est universalissimum seu simplicissimum. Etenim „sicut *ens* est primum, quod cadit in apprehensione *simpliciter*, ita *bonum* est primum, quod cadit in apprehensione *practicæ* rationis, quæ ordinatur ad opus. Omne enim agens agit propter finem, qui habet rationem boni.”¹⁾

Prob. Min. pars II. Est cognitu facillimum. Hoc colligitur ex Min. p. I; siquidem exurgit ex practicis notionibus boni et mali, quæ omnibus communes sunt.

¹⁾ 1. 2. q. 94, a. 2.

Prob. Min. pars III. *Est adequatum*. Etenim „super hoc fundantur omnia alia præcepta legis naturæ, ut scilicet omnia illa facienda pertineant ad præcepta legis naturæ, quæ ratio practica apprehendit esse bona humana.” 1)

§ VII.

Utrum lex naturalis debita sanctione munita sit.

377. Prænot. I. Inter actus legis ille etiam enumeratur „quod inducat ad hoc, quod sibi obediat;” 2) hinc „legislatores per præmia et pœnas observantiam legis inducunt.” 3) Jam vero *decretum* legislatoris, quo præstituantur et irrogantur præmia pro custodientibus legem, et ex adverso pœnæ contra legis violatores, est *sanctio activa*; ipsa vero præmia et pœnæ constituunt *sanctionem passivam*. 4)

II. Circa sanctionem legis naturalis quæritur: 1^o *Utrum lex naturalis aliqua sanctione munita sit*; 2^o *utrum præmium et pœna tribuantur statim post mortem, et in quo ipsa consistant*; 3^o *utrum pœnæ alterius vitæ sint æternæ*; 4^o *utrum sanctionis intuitu legem observare liceat*.

SECTIO I.

Utrum lex naturalis aliqua sanctione munita sit.

378. Prænot. Sanctio legis distinguitur in *perfectam* et *imperfectam*. Sanctio perfecta est, quando præmium et pœna sunt istiusmodi, ut 1^o cum merito et demerito debitam proportionem habeant, et præterea

1) 1. 2. q. 94, a. 2. — 2) 1. 2. q. 92, a. 2. — 3) c. *Gent.* lib. 3, cap. 140, N. 1. — 4) Vide quæ de *fine* sanctionis diximus N. 263, seqq.

2^o semper et in omni casu ad legis observantiam voluntatem humanam movere valeant. Utraque vel etiam alterutra conditione deficiente, sanctio erit imperfecta. Deum legem naturalem perfecta sanctione munivisse, hanc tamen perfectam sanctionem non nisi in vita futura inveniri, duplici Propos. demonstrabimus.

PROPOSITIO I.

Deus legem naturalem munivit sanctione perfecta.

379. **Prob. I.** Ex divina justitia. Homo actibus suis meretur vel demeretur apud Deum (N. 260). Atqui merito præmium, demerito pœna respondet vi justitiæ. Deus autem non potest recedere ab ordine justitiæ. Ergo condigna præmia et pœnas rependit actibus humanis.

Prob. II. Ex sanctitate divina. Sanctitati divinæ repugnat indifferentia ad bonum et malum. Atqui Deus esset practice indifferens ad bonum et malum, si, legi naturali nulla sanctione apposita, bonos et malos æquali sorte donaret. Ergo eadem necessitate, qua, pro sua sanctitate, legem naturalem creaturæ rationali imposuit, eam quoque debita sanctione munivit.

Prob. III. Ex sapientia divina. Sapientia providi legislatoris postulat, ut subditos efficaciter moveat ad legis custodiam; siquidem lex fertur, ut observetur a subditis. Atqui medium huic fini necessarium, et simul libertati humanæ congruum, consistit in præstitutione præmii et pœnæ. Ergo.

Prob. Min. pars I. Medium huic fini necessarium.

Etenim homines præ pravis naturæ propensionibus, virtutis arduitate vitiorumque illecebris, plerumque in officio non continentur horrore mali moralis ac pulchritudine virtutis; at vero spe præmii et formidine pænæ efficacius moveri solet voluntas, cui naturaliter inditus est insuperabilis amor felicitatis et aversio miseræ (N. 22).

Prob. Min. pars II. *Medium libertati humanæ congruum*. Siquidem præmium et pœna efficaciter quidem movent, sed libertatem non tollunt (N. 87).

Prob. IV. Ex infinita majestate divini Legislatoris. Indignum foret majestati divini Legislatoris, quod creatura rebellis penitus subterfugere posset voluntatem ejus omnipotentem. Atqui hoc fieret, si lex divina posset impune violari. E contra, debita sanctione statuta, creatura legem divinam nullatenus effugit, quia, etsi possit se subtrahere voluntati præcipienti, eo ipso tamen incidit in voluntatem sancientem: „Peccator, qui, quantum est in se, recedit a divina voluntate peccando, incidit in ordinem divinæ voluntatis, dum per ejus justitiam punitur.” ¹⁾

380. Nota pro solvendis difficultatibus.

1^o Deus pœnas non infligit improbis, quasi delectaretur impiorum cruciatibus, sed *ex amore ordinis*: „Pœnæ inferuntur a Deo, non *propter se*, quasi Deus in ipsis delectetur, sed propter aliud, scilicet propter ordinem imponendum creaturis, in quo bonum universi consistit.” ²⁾

2^o Quamvis „peccator peccando Deo nihil nocere ef-

¹⁾ I. q. 19, a. 6. — ²⁾ c. *Gent.* lib. 3, cap. 144; Conf. cap. 140, N. 4, et I. 2. q. 87, a. 6, et a. 3, ad 3.

fective possit, tamen . . . contra Deum agit . . . in quantum Eum in suis mandatis contemnit,"¹⁾ et Deo subtrahit, quod Ei debet; et, quantum in ipso est, Ejus gloriam minuit, quamvis hoc facere non possit. Deus igitur agere debet ac si peccator *revera* intrinsecus Ipsi molestiam afferet.

PROPOSITIO ~~X~~.

Lex naturalis in hac vita aliqua, sed non nisi imperfecta, in altera vero vita perfecta sanctione munita est.

381. Prob. pars I. *Aliqua sanctione in hac vita munita est.* Cum enim lex naturalis ea præcipiat, quæ naturæ rationali essentialiter conveniunt et necessaria sunt, atque ea prohibeat, quæ huic naturæ essentialiter repugnant, dubitari nequit, quin custodia legis naturalis *naturaliter* seu ex ordinatione Creatoris tum ad *privatam uniuscujusque hominis*, tum ad *publicam societatis* felicitatem conferat; et e contra violatio legis naturalis tum singulis hominibus, tum societati multa mala inducat.²⁾

Et re quidem vera, *experientia* docet in hac vita plura bona cum virtute, pluraque mala cum vitio sociari; et quidem alia *essentialiter*, alia vero *naturaliter*, alia autem *moraliter*.³⁾

a) *Essentialiter*: virtus parit pacem conscientiæ, perficit animæ facultates; vitium e contra remorsum conscientiæ gignit et animæ facultates hebetat. b) *Naturaliter*: ex ipsa constitutione compositi humani virtus, præ-

¹⁾ 1. 2. q. 47, a. 1, ad 1. — ²⁾ c. *Gent.* lib. 3, cap. 140. — ³⁾ Tongiorgi, *Ethic.* N. 192, seqq.

sertim temperantia, vires corporis ac valetudinem conservat; e contra vitium non raro corpori nocet et mortem accelerat. c) *Moraliter*: virtus conciliat aliorum æstimationem, amorem etc.; e contra vitium. — Historia testatur etiam *societatis* prosperitatem ex virtute, *societatis* interitum ex vitio pendere.

Prob. pars II. Sanctio hujus vitæ est valde imperfecta, et quidem 1^o quia impar est hominibus in officio continendis, deinde 2^o quia non est proportionata meritis et demeritis (N. 378).

1^o Impar est hominibus in officio continendis. Ut sanctio homines in officio contineat, oportet ut voluntati proponat bona et mala, quæ per se excedant mala et bona, quæ tum virtuti, tum vitio adnectuntur. Atqui istiusmodi sanctio frustra quæritur intra limites vitæ mortalis. Et sane, a) etsi virtus bona permulta, tum interna, tum externa comparare solet, frequenter tamen videmus virtuosos multis calamitatibus vexari, ab impiis opprimi etc. E contra homines scelestissimi non raro in hoc mundo prosperantur. Quamvis autem pax et remorsus conscientiæ essentialiter virtuti et vitio conjungantur, nihilominus tamen animi anxietates non raro virtuosos perturbant, quum in scelestis conscientiæ stimulus consuetudine peccandi sæpe retundatur. Præterea pax justorum et formido impiorum *fundatur potissimum in expectatione vitæ futuræ*. — b) Aliquando propter legis custodiam mori, adeoque *omnibus hujus vitæ bonis valedicere* necesse est.

2^o Non est proportionata meritis et demeritis. Hoc enim ex modo dictis manifeste colligitur.

Prob. pars III. *In altera vita sanctione perfecta munita est.* Etenim lex naturalis a Deo perfecta sanctione munita est (*Prop. I*). Atqui perfecta sanctio in hac vita non habetur (*pars II*). Ergo. Hinc S. Joannes Chrys.: „Si Deus est, sicut revera est, Eum justum esse nemo non fatebitur. Atqui si justus est, et his et illis rependet pro meritis, et hoc in confesso est. Quod si et his et illis rependet pro meritis, hic vero nullus eorum recepit, neque ille improbitatis pœnam, neque hic virtutis præmia, perspicuum est restare tempus aliquod, in quo congruens præmium horum uterque feret.” ¹⁾

SECTIO IX

Utrum præmium et pœna tribuantur statim post mortem, et in quo ipsa consistant.

382. *Prænot.* Perspicuum igitur est restare tempus aliquod, scil. *vitam futuram*, in qua præmium et pœna congruens a supremo Legislatore et Judice retribuantur. Quæritur igitur, *utrum præmium et pœna retribuantur statim post mortem*, ita ut tempus probationis hujus vitæ terrenæ limitibus concludatur; *an forsitan illud tempus probationis extendatur ad vitam futuram.*

383. Errores. A. *Quamcumque retributionem futuram* negant quotquot inficiantur *immortalitatem animæ*, quam ut postremum hostem in scientiæ speculativæ campo profligandum Strauss aperte professus est. *Immortalitatem animæ* negant tum *Materialistæ*, contententes animam simul cum corpore interire; tum *Pantheistæ*, imprimis *Hegelianî*, censentes animam, dissoluto corpore, *Absolute* absorberi. Vide *Anthropologiam*. ²⁾

¹⁾ De Lazaro, Concio IV. — ²⁾ Sanseverino, *Anthropol.* cap. IX.

B. *Tempus probationis morte finire* negant plures Rationalistæ. Siquidem animarum præexistentiam admittentes, necnon *futuram reincarnationem*, ¹⁾ contendunt animas a corpore terreno solutas in variis sphaeris universi ducere vitam felicem vel miseram pro meritis vel demeritis vitæ anteaactæ, *omnes tamen quodam indefinito progressu fieri meliores et Deo magis similes.* ²⁾

384. Quid doceat fides. Docet fides animas vitæ functas, quibus nihil luendum superest, *statim æternam beatitudinem consequi*; animas vero sanctas nondum plene expiatas prius aliquo tempore in loco purgationis detineri; animas impias seu in statu peccati mortalis decedentes *statim æternis suppliciis puniri*. Itaque ipso mortis momento tempus viæ seu probationis terminatur. Conf. S. Theolog.

Quid doceat recta ratio. Tempus probationis *per mortem terminari*, ratio sibi relicta cum certitudine cognoscere nequit; attamen hoc satis in aperto est, *tempus probationis non esse perpetuum.*

Hiscæ prænotatis, demonstrabimus: 1^o *tempus probationis non esse perpetuum*; imo *hoc tempus morte terminari*, rationi esse omnino *consentaneum*; dein 2^o sanctionem perfectam vitæ futuræ essentialiter consistere in *consecutione vel privatione finis ultimi*, attamen *rationi consentire, præter pœnam damni alias adhuc pœnas impiis reservari.*

¹⁾ Sanseverino, l. c. — ²⁾ Ita inter alios Reynaud, *Terre et ciel*; Figuier, *Le Lendemain de la mort*; inter nostrates hypothesin futuræ reincarnationis et indefiniti progressus admittit Scholten, *Over de oorzaken van het hedendaagsch materialisme.*

PROPOSITIO I.

I **Tempus probationis non est perpetuum; quinimo**
rectæ rationi omnino consonat, tempus
probationis morte terminari.

385. **Prob. pars I.** *Tempus probationis non est perpetuum.* 1^o Homini naturaliter inest appetitus beatitudinis, qui citra hominis culpam frustrari nequit (N. 22—26). Atqui ille appetitus frustraretur, si tempus probationis foret perpetuum.

2^a Deus legem naturalem perfecta sanctione munivit (N. 379). Atqui tempus probationis perpetuum conciliari nequit cum sanctione perfecta.

3^o Deus, ut causa prima, est essentialiter Dominus absolutus omnium (N. 13). Atqui supremo huic domino absolute repugnat, *creaturam rebellem in æternum posse contemnere legem divinam.* Ergo aliquando tempus adveniat necesse est, quo rebellis creatura pœnas luendo etiam invita subjiciatur legi divinæ.

4^o Finis absolute ultimus, quem Creator *libero* actu creationis *necessario* et *absolute* intendit, est divina gloria externa, quæ absolute debet obtineri (N. 14, seqq. et N. 33). Atqui ille finis, absolute ultimus ac necessario obtinendus, frustraretur, si impii in æternum impune possent detrectare gloriam divinam. Ergo aliquando aderit tempus, quo impii in tormentis justitiam divinam etiam inviti manifestabunt.

Prob. pars II. *Rectæ rationi omnino consonat tempus probationis morte terminari.* 1^o Deo nequit denegari jus tempus probationis et veniæ circumscribendi limitibus hujus vitæ. Quinimo legis violatione semel posita, le-

gislatori integrum est *statim* punire prævaricatorem. Ergo *nihil obstat*, quominus tempus probationis morte terminetur.

2^o Licet post mortem superstes sit anima, desinit tamen homo. Atqui lex naturalis data est homini, pariter homini intimata est sanctio. Ergo hominis est pro contractis culpis satisfacere, et ideo, homine desinente, *non videtur* superesse locus satisfactionis et veniæ.

3^o Lex naturalis est lata in bonum commune totius societatis humanae. Atqui bono communi non satis provisum videtur, si post mortem superesset spes veniæ; hoc in casu enim homines sua officia *in terris* contemnerent. Ergo dicendum *videtur* Deum voluisse, ut una cum præsentè vita evanesceret omnis spes veniæ.

4^o Homines semper crediderunt post mortem non esse locum nisi aut præmio pro bene gestis, aut pænæ pro peccatis non expiatis.

PROPOSITIO II.

Sanctio perfecta vitæ futuræ essentialiter consistit in consecutione vel privatione finis ultimi seu beatitudinis; Attamen præter istam pœnam damni impiis pœnas positivas esse reservatas, recta ratio vehementer suadet.

386. Prob. pars I. *Sanctio*, ... essentialiter consistit in consecutione vel privatione finis ultimi. Quod est ad 1^m seu consecutionem finis ultimi: Homo essentialiter ad beatitudinem ordinatus est; hæc autem ordinatio, citra hominis culpam, frustrari nequit, salva Dei veracitate, fidelitate et bonitate (N. 25). Atqui illa ordinatio, citra hominis culpam, frustraretur, si homo or-

dinem moralem a lege præceptum servando beatitudinem non assequeretur. Ergo.

Quod est ad 2^m seu *privationem finis ultimi*: „Ubi-
cumque est aliquis debitus ordo ad finem, oportet quod
ordo ille ad finem ducat, recessus autem ab ordine fi-
nem excludat.”¹⁾ *Præterea*, si vita scelesti non secus
ac virtus duceret ad finem beatum, evanesceret omne
practicum discrimen inter bonum et malum; et homo
per peccatum a fine ultimo aversus, simul perfecto amo-
re ad finem ultimum conversus foret. Ergo.

Prob. pars II. *Præter istam pœnam damni impiis
pœnas positivas esse reservatas, ratio vehementer suadet.*
Quatuor rationes affert Angelicus, quæ, si forsitan non
peremptoriæ videantur, saltem ostendunt *harmoniam* inter
rationem et *revelationem*, quæ istiusmodi pœnas proponit.

„*Primo*: pœna debet proportionaliter culpæ respon-
dere. In culpa autem non solum *avertitur* mens ab ul-
timo fine, sed etiam indebite *convertitur* in alia, quasi
in fines. Non solum ergo puniendus est, qui peccat,
per hoc quod *excludatur a fine*, sed etiam per hoc quod
ex aliis rebus sentiat nocumentum.”

„*Amplius*: pœnæ inferuntur pro culpis, ut timore
pœnarum homines a peccatis retrahantur. Nullus autem
timet amittere id, quod non desiderat adipisci. Qui ergo
habent voluntatem aversam ab ultimo fine, non timent ex-
cludi ab illo. Non ergo per solam exclusionem ab ul-
timo fine a peccando revocarentur. Oportet igitur peccan-
tibus aliam pœnam adhiberi, quam timeant peccantes.”

„*Item*: si quis eo, quod est ad finem, inordinate
utitur, non solum fine privatur, sed etiam aliud nocu-

¹⁾ c. *Gent.* lib. 3, cap. 140, N. 2.

mentum incurrit, ut patet in cibo inordinate sumpto, qui non solum sanitatem non affert, sed etiam ægritudinem inducit. Qui autem in rebus creatis finem constituit, eis non utitur secundum quod debet, referendo scilicet ad ultimum finem. Non ergo solum debet puniri per hoc quod beatitudine careat, sed etiam per hoc quod aliquod nocumentum ab ipsis experiatur."

„Præterea: sicut recte agentibus debentur bona, ita perverse agentibus debentur mala. Sed illi, qui recte agunt, in fine ab eis intento percipiunt perfectionem et gaudium. E contrario ergo debetur hæc pœna peccantibus, ut ex his, in quibus finem constituunt, afflictionem accipiant et nocumentum." ¹⁾

SECTIO III.

Utrum pœnæ alterius vitæ sint æternæ.

387. Prænot. Quæritur de pœna, non de præmio; ratio est, quia beatitudo perfecta in suo conceptu æternitatem continet (N. 28).

388. Quid doceat fides. Docet fides catholica *impios æternis suppliciis cruciari*. — Quæ vero ad istorum suppliciorum naturam spectant non sunt de fide. — Attamen sententia, in Ecclesia communiter recepta adeoque tenenda, circa pœnarum positivarum naturam est de igne materiali. ²⁾

389. Quid doceat recta ratio. Utrum ratio sibi relicta æternitatem pœnarum demonstrare possit, non una est sententia Doctorum. — Lessius affirmare non dubi-

¹⁾ c. Gent. lib. 3, cap. 145. — ²⁾ Schoupe, *De novissimis*, N. 46; Pasaglia, *De æternitate pœnarum deque igne inferno commentarii*.

tat æternitatem suppliciorum esse mysterium fidei „maxime difficile creditu;” ¹⁾ e contra S. Thomas argumentis philosophicis agnoscere videtur valorem *apodicticum*. — Dogma christianum *non pugnare* cum ratione nullus Christianus dubitat.

390. Quæstio juris et facti. Ad rem elucidandam forsau proderit distinctio inter quæstionem *juris et facti*. Quæstio *juris* est utrum æternitas pœnarum a ratione cum certitudine nobis manifestetur tamquam *regula generalis*, qua pœnæ *de se* sint perpetuæ, nisi Deus in casu speciali absolvat aliquem damnatum. — Quæstio *facti* est utrum ratio cum certitudine cognoscat pœnas æternas etiam in omni omnino casu infligi, seu Deum nunquam, ne per modum *exceptionis* quidem, aliquem damnatum liberare.

Quod primum attinet, inclinamur in sententiam, quæ rationi agnoscit vim *demonstrativam*. ²⁾ — Quod vero est ad alterum, *probabilia* quidem, non tamen *cogentia* argumenta ratio adducit.

391. Errores. Protestantes antiquiores pœnas temporales alterius vitæ rejiciebant. ³⁾ Ex adverso multi recentiores quæstionem de æternitate pœnarum in dubio relinquunt, vel colludunt cum *Rationalistis*, qui æternitatem pœnarum explodunt ut repugnantem 1^o *attributis divinis*, 2^o *naturæ humanæ*, 3^o *essentiali fini omnis pœnæ*.

¹⁾ *De perf. div.*, lib. 13, cap. 25. — ²⁾ Vide Meijer, N. 265. — ³⁾ Juxta Lutherum, purgatorium „*mera diaboli larva est*,” *Art. Smalc.* p. 11, cap. 2, § 9; juxta Calvinum est „*exiliatè salanæ commentum*,” *Instit.* lib. 3, cap. 5, § 6. Hæc commenta omnino coherent cum principio fundamentali *de sola fide justificante*, quod jubente Lutero Bibliis fuit intrusum. *Conf. S. Theolog.*

PROPOSITIO.

Tempore probationis elapso, contra eos, qui graviter in legem deliquerunt, pœna æterna divinitus statuta est.

392. Prænot. Dicitur 1^o *tempore probationis elapso*; hoc tempus *aliquando* terminari *demonstrat* ratio; hoc tempus *morte* finire docet fides et *suadet* ratio (N. 385). Dicitur 2^o *qui graviter deliquerunt*; ut excludantur peccata *levia*. Dicitur 3^o *divinitus statuta est*; quod intelligas sensu N. 390 indicato.

393. Prob. I. „Habet quodlibet peccatum contra Deum commissum quamdam *infinitem ex parte Dei*, contra quem committitur. Manifestum est enim quod quanto major persona est, contra quam peccatur, tanto peccatum est gravius . . . Et sic, cum Deus sit infinite magnus, offensa contra ipsum commissa est quodammodo infinita; unde et aequaliter *pœna infinita* ei debetur. Non autem potest esse pœna infinita *intensive*, quia nihil creatum sic infinitum esse potest. Unde relinquitur, quod peccato mortali debetur pœna infinita *duratione*.”¹⁾

Prob. II. „Apud divinum iudicium *voluntas pro facto computatur*; quia sicut homines vident ea, quæ exterius aguntur, ita Deus inspicit hominum corda. Qui autem propter aliquod temporale bonum aversus est ab ultimo fine, qui in æternum possidetur, præposuit fruitionem temporalem illius boni temporalis æternæ fruitioni ultimi finis; unde patet *quod multo magis voluisset in æternum illo bono temporali frui*. Ergo secundum divinum iudicium ita puniri debet, *ac si æternaliter pec-*

¹⁾ Opusculum I, cap. 187.

casset. Nulli autem dubium est, quin pro æterno peccato æterna pœna debeatur. Debetur igitur ei, qui ab ultimo fine avertitur, pœna æterna." ¹⁾

Prob. III. Peccatum inducit reatum pœnæ, *quia per ipsum ordo evertitur*, adeoque tamdiu manet reatus pœnæ quamdiu *perturbatio ordinis* perseverat. Atqui *perturbatio ordinis*, quæ gravi peccato continetur, de se irreparabilis est ex parte creaturæ, etsi reparari possit virtute divina. Ergo. ²⁾

Prob. IV. *Ut sanctio legis sit efficax*, requiritur pœna æterna: illud solum, quod æternum est, efficaciter movet hominem æternum. Minor siquidem est duratio temporis cujusvis finiti ad durationem indefinitam, quam unius instantis vitæ præsentis ad summam annorum, quibus totius vitæ duratio contexitur. Pœnarum igitur æternitate sublata, inter innumeras, quæ virtutem comitantur, difficultates, inter omnigenas, quæ ad malum trahunt, illecebras, homo facile posthaberet pœnas non perpetuo duraturas.

Prob. V. *Ex consensu generis humani.* ³⁾

394. Nota pro solvendis difficultatibus.

1^o Inter delictum transiens et pœnam æternam nulla quidem est proportio *temporis*; est tamen proportio *gravitatis culpæ* ad pœnam (*Prob. I*). — Præterea in peccato deliberato est quædam peccati extensio *subjectiva* in æternitatem (*Prob. II*). Ergo pœna æterna non adversatur *justitiæ*.

¹⁾ *c. Gent.* lib. 3, cap. 144. — ²⁾ 1. 2. q. 87, a. 3; Conf. 1. 2. q. 87, a. 4, ad 3. — ³⁾ Perrone, *De Deo Creatore*, N. 737; Lüken, *Die Traditionen des Menschengeschlechts*, s. 410, seqq.

2^o Finis *primarius* creationis non consistit in *beatitudine hominis*, ut Rationalistæ falso supponunt, sed in *externa gloria Dei*, quam Deus *absolute* intendit. Beatitudo hominis est finis mere *secundarius* et *conditionatus*. Porro finis *primarius* semper obtinetur, *etiam in damnatis*. (N. 33). Ergo Deus, permittendo damnationem, a proposito fine non deficit; et ideo pœna æterna non officit *sapientiæ* divinæ.

3^o Quamvis Deus infinite *bonus* sit et *misericors*, tamen „*ejus misericordia sapientiæ ordine regulatur.*” ¹⁾ Si quidem perfectiones divinæ non instar *cæcorum affectuum* sunt cogitandæ, sed ita ut inter ipsas earumque effectus sit harmonia perfectissima. Hinc pœnarum æternitas non pugnat cum *misericordia* divina, ratione habita sanctitatis ac justitiæ divinæ.

4^o Peccatum ad gravem culpam et ad æternam damnationem non imputatur, nisi habeatur *materia gravis*, *advertentia perfecta* et *plenus consensus*. Ubi vero hæc adsunt, creatura *sciens volens* voluntatem supremi Legislatoris contemnit, infinitam Majestatem offendit, liberalissimum Benefactorem despicit, summoque Bono posthabito, in bono creato ultimum finem ponit. Hinc prorsus futilia sunt, quæ ogganniunt Rationalistæ de *infirmirate* humana.

5^o Finis *primarius* pœnæ inflictæ est *ordinis violati restauratio* (N. 265); finis *secundarius*, in quantum compatibilis est cum primario, consistit in *emendatione delinquentis*. — Finem *primarium* obtinet pœna æterna; finem *secundarium* non spectat in damnato; est tamen medicinalis ac exemplaris viventibus. — Hinc dici ne-

¹⁾ *Supplem.* q. 99, a. 2, ad 1.

quit pœnas æternas esse prorsus infructuosas et *fini pœnarum contrarias*.

6^o Deus, inquiunt, *forsan ad nihilum rediget animam peccatricem*. 1) — *Resp.*: Hæc hypothesis, revelatione etiam seposita, nulla probabilitate gaudet; nam „in constitutione rerum naturalium non consideratur *quid Deus facere possit, sed quid naturæ rerum conveniat*.” 2) Atqui anima humana, cum in se nullum corruptionis principium habeat, *vi suæ naturæ* exigit durationem sempiternam. Ergo Deus, qui „sic unamquamque naturam instituit, *ut ei non auferat suam proprietatem*,” 3) animam in æternum conservabit.

Adhuc: „In culpa *voluntas* contra Deum agit, non autem *natura*, quæ ordinem sibi a Deo inditum servat; et ideo talis debet esse pœna, quæ voluntatem affligat, naturæ nocendo, qua voluntas abutitur. Si autem creatura omnino in nihilum redigeretur, esset tantum nocumentum naturæ et *non afflictio voluntatis*.” 4)

Præterea peccato debetur pœna *positiva* (N. 386. *Prob. pars II*) „si autem in nihilum creatura redigeretur, esset quidem pœna *damni* æterna, sed non remaneret pœna *sensus*.” 5)

Accedit quod annihilatio animæ non est *pœna sufficiens* ad homines in officio continendos: ideo enim flagitiosi sibi animæ cum corpore interitum persuadere conantur, *ut minori terrore conscientiæ peccent*. 6)

1) Ita Renouvier, Lambert aliique Rationalistæ apud Élie Meric, *L'autre vie*, livre I, chap. V, et nonnulli recentiores Protestantes, ut Rothe, Nitsch, etc. Novissime possibilitatem annihilationis animæ impiæ, non quidem statim post mortem, sed post longos angores admittit E. Naville, *Le libre arbitre*, Paris, 1890. — 2) l. q. 76, a. 5, ad l. — 3) *De potentia*, q. 5, a. 4. — 4) l. c. ad 6. — 5) l. c. — 6) Quoad explicata vide De Feller, *Catéchisme philosophique*, N. 476, seqq.; Nicolas, *Études philosophi-*

SECTIO IV.

Utrum sanctionis intuitu legem observare liceat.

395. Errores. Stoici et Kant (N. 148, B) docebant in virtutis exercitio quamcumque propriæ felicitatis intentionem esse excludendam, legem ex pura ipsius reverentia esse adimplendam, actionem ex motivo felicitatis obtinendæ malive vitandi positam esse *moraliter turpem*. Hæc doctrina est communis inter Rationalistas. — Quinimo inter ipsos nonnulli cum Janet ¹⁾ Kantium increpant, quod docuerit *virtutem felicitatem dignam esse*. ²⁾

PROPOSITIO.

Sanctionis intuitu legem observare vere honestum est.

396. Prænot. I. Quoad timorem pænæ supponimus eum excludere *affectum peccaminosum*, adeoque

ques sur le Christianisme, I, seconde Partie, chap. VIII; Hettinger, *Apolo-
logie des Christenthums*, II, 15e Vortrag.; Stimmen aus Maria-Laach, XXXI,
Der moderne Unglaube und die ewigen Strafen, pag. 25 et 136. — ¹⁾ *La
Morale*. — ²⁾ Etiam Calvinus, *Instit.* lib. 3, cap. 16 et 18, necnon Janse-
nistæ malum esse dixerunt opus mercedis æternæ intuitu exercitum. — Con-
tra hæreticos *Conc. Trid.*, sess. VI, cap. 11, can. 31 definiuit. « Si quis
dixerit, justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur;
anathema sit. » — Huc quoque spectat error *Fenelonii*: « *Datur habitualis statu-
s amoris Dei, qui est charitas pura, et sine ulla admixtione motivi proprii
interesse: neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum habent
amplius in eo partem: non amatur amplius Deus propter meritum, neque
propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam.* »
Hunc errorem damnavit Innocentius XII, 12 Mart. 1699. Ex qua condem-
natione patet, admitti non posse *statum habitalem* amoris excludentis spem
beatitudinis, seu *statum*, in quo homo amittit omne motivum interessatum
timoris et spei. — Nihil tamen obstat, quominus in homine admittatur *actus*
amoris, quo Deus, ut summum Bonum in se, absque præmii intuitu diliga-
tur. Hoc autem sensu orabat S. Franciscus Xaverius: « O Deus, ego amo
te, nec amo te ut salves me, aut quia non amantes te aeterno punis igne. »

non solam manum, sed etiam voluntatem a peccato retrahere (Vide N. 128, Dicitur 3^o).

II. Spes præmii et timor pænæ non sunt motiva nobilissima; sunt tamen motiva vere honesta, imo motiva necessaria infirmitati humanæ. ¹⁾

397. Prob. I. Ex intentione legislatoris. Honestum est sese in agendo conformare intentioni legislatoris. Atqui sanctionis intuitu legem implere huic intentioni conforme est: ideo enim legislator præmium ac pænâ præstituit, ut lex observetur. Ergo.

Prob. II. Ex eo quod legis custodia naturaliter ad beatitudinem ducit. Finem ultimum naturæ rationali proprium in beatitudine seu felicitate perfecta consistere, Cap. I, Artic. I demonstravimus; hunc finem esse intrinsece honestum, utpote naturæ rationali essentialiter proprium, ex disputatis N. 155 evidenter constat. Hisce positis, dicendum: Inhonestum esse nequit tendere in finem ultimum seu beatitudinem per media naturaliter in illum finem ordinata. Atqui legis custodia est medium naturaliter in beatitudinem ordinatum; siquidem consecutio et privatio finis ultimi ex legis observantia et violatione pendent, ut Sectionibus præc. demonstratum est.

Prob. III. Ex connexionione beatitudinis humanæ cum gloria divina. Qui legem observando intendit suam beatitudinem, saltem virtualiter intendit gloriam Dei (N. 33). Atqui operari ad majorem Dei gloriam est operari ex motivo nobilissimo; siquidem gloria Dei est finis absolute supremus, quem spectat universus ordo creatus (N. 14, seqq.). Ergo.

¹⁾ Stöckl, § 34, 35.

398. Nota pro solvendis difficultatibus.

1^o Amor Dei, quo divina mandata servamus sperando æternam beatitudinem, quæ in possessione Dei consistit, non est amor *pure mercenarius*. Etenim illo amore *concupiscentiæ* Deum non referimus ad nosmetipsos, tamquam ad *finem*, sed tamquam ad *subjectum* per illum perficiendum; quod nihil aliud est, nisi *nosmetipsos ordinare in Deum finem nostrum ultimum*. — Quinimo vera charitas, nedum mercedem excludat, mercedem intendit: „Amicorum est, quod quærant invicem perfrui. Sed nihil aliud est merces nostra, quam perfrui Deo Ergo charitas non solum non excludit, sed etiam facit habere oculos ad mercedem.” ¹⁾

Hic simul animadvertas, quanta *impudentia* Rationalistæ Ethicam christianam insimulent *Egoismi*, quum ipsum illorum systema, detracta larva, pura *Autolatria* appareat. Et re quidem vera, nomine legis moralis a Rationalismo intelligitur *ratio* seu *voluntas humana autonoma*. Ergo officium, ex solius legis reverentia adimpletum, nihil aliud est nisi *obsequium sibi met præstitum*.

2^o *Ex felicitatis respectu* reverentia legis non fit *conditionata*. Etenim jus divinum legiferum non fundatur in facultate beatificandi vel damnandi hominem, sed in *dominio absoluto*, quod Creatori in omnes creaturas essentialiter competit. Hinc jus legiferum est omnino *absolutum*, cui respondet in creatura rationali *obligatio moralis absoluta*. — Unde, etsi Deus pro sua sapientia, bonitate ac justitia virtuti præmium, vitio pœnam præstituit, lex divina non est *conditionata*, quasi homini integrum foret *felicitati renuntiando simul legis vinculo*

¹⁾ In III Sent. Dist. 29, q. unica, a. 4.

sub obligatione, per illud autem efficiuntur necessaria."¹⁾

401. Definitio legis positivæ. Itaque lex positiva sensu proprio accepta definiri potest: *Ordinatio rationis legi naturali conveniens, determinans indeterminata a lege naturali ad bonum commune, ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata.*

Explicatur definitio. Prætermisissis iis definitionis partibus, quæ jam supra (N. 332) explicatæ sunt, dicitur 1^o *ordinatio legi naturali conveniens*; nimirum ordinatio rationis in legislatore positivo debet esse vera ordinatio rationis, i. e. secundum *rectam* rationem, et consequenter secundum legem naturalem, quæ est participatio rationis *divinæ*. Dicitur 2^o *determinans indeterminata a lege naturali*; quo denotatur *objectum* seu materia legis positivæ sensu proprio acceptæ. Ista nimirum lex, quatenus prohibens, versatur circa actiones naturaliter *indifferentes*, quas prohibendo reddit malas; et quatenus præcipiens, versatur circa actiones naturaliter *indifferentes*, vel etiam bonas sed tamen *non necessarias*, quas præcipiendo efficit necessarias seu *obligatorias*. Exemplum habes in lege, quæ certis diebus prohibet esum carniæ, in lege, quæ præcipit solvere tributa, in lege, quæ sacerdotibus imponit cælibatum.

402. Differentia inter legem positivam et legem naturalem. Differunt 1^o ratione *auctoris immediati*, 2^o ratione *materiæ*, 3^o ratione *indolis*, 4^o ratione *promulgationis*.

1^o *Ratione auctoris immediati.* Lex naturalis solum Deum, *Auctorem naturæ*, pro immediato latore habet;

¹⁾ Suarez, lib. 1, cap. 3, N. 10.

lex positiva vel *Deum* vel *hominem*. — 2^o *Ratione naturalis*. Lex naturalis immediate solum præcipit actiones bonas, quæ ad ordinis *naturalis* conservationem *necessariæ* sunt, et immediate solum prohibet actiones huic ordini repugnantes, seu actiones *intrinsece turpes*. E contra lex positiva, quamvis sæpe idem præcipiat vel prohibeat ac lex naturalis, v. g. lex civilis prohibens furtum (quo casu solummodo sensu latiori positiva est), immediate tamen extendi potest ad actiones indifferentes vel bonas non necessarias (N. 401 in fine). — 3^o *Ratione indolis*. Lex naturalis a) est *necessaria* in hypothesis, quod existant creaturæ rationales, b) est *universalis* seu omnes creaturas rationales adstringens, c) est *immutabilis* (N. 359, 367). E contra lex positiva a) fertur *libere*, b) potest esse tum *universalis*, ut lex evangelica, tum *particularis*, ut lex cæremonialis mosaica, lex civilis Neerlandica, c) potest esse tum *immutabilis*, ut lex evangelica, quæ a suo divino auctore instituta est ut perpetuo duratura ¹⁾, tum *mutabilis*, ut lex mosaica, et passim leges positivæ humanæ.

§ II.

Utrum leges positivæ sint possibiles vel etiam necessariæ.

403. Prænot. Quandoquidem lex *divina naturalis* omnes homines obligat ad ordinem naturalem servandum hancque obligationem urget pænæ æternæ comminatione, dubitari posset, utrum leges *positivæ* sint saltem *necessariæ*. Nedum necessitatem, etiam *possibilitatem* legis positivæ *divinæ* negat Philosophia incredula. Quæstioni positivæ satisfacit Propos. seq.

¹⁾ 1. 2. q. 106, a. 4; Suarez, lib. 10, cap. 7; Franzelin, *De Tradit.* th. 23.

PROPOSITIO.

I Leges positivæ non modo possibilis **II** sed etiam necessariae sunt.

404. Prænot. I. Necessitas legum positivarum ne intelligatur ita, quasi *singulae* leges positivæ necessariae forent; etenim lex positiva fertur voluntate rationabili quidem, sed tamen *libera* legislatoris; necessitas igitur intelligatur de *legislatione positiva generatim accepta*. — Præterea non quæcumque species legislationis positivæ *eadem ratione* necessaria est (N. 406).

II. Lex positiva est *divina* vel *humana*; hæc iterum est *ecclesiastica* vel *civilis*.

405. Prob. pars I. Leges positivæ sunt possibilis. A. Quod est ad legem positivam *divinam*:

1^o Deus, qui legem naturalem mentibus hominum inseruit *naturaliter* cognoscendam, *aliis etiam modis* hominem edocere potest præcepta naturalia. Quodsi fiat, lex ratione *promulgationis* erit positiva. ¹⁾

2^o Deus *Creator* est *Dominus absolutus* hominum. Atqui absolutum hoc dominium, cui in hominibus respondet *dependentia absoluta*, necessario importat Deum non solum actiones ad ordinis naturalis conservationem necessarias, sed et *alias quascumque* in eodem ordine naturali posse homini imponere. Quo casu lex etiam ratione *materiæ* erit positiva.

3^o Potest Deus hominem elevare ad ordinem supernaturalem. Etenim infinita Dei sapientia, bonitas et po-

¹⁾ De possibilitate divinæ revelationis agitur in *Ethica speciali*, Cont. Cæcæ, Vatic. Constit. *Dei Filius*, cap. II, can. II.

cives ad bonum commune conferre debeant. Ergo requiritur legislatio positiva, quæ illas res indeterminatas magis *determinet* et *applicet* pro diversis rerum temporumque concretis adjunctis. Hoc modo lex civilis determinat cives ad bonum commune concurrere solvendo vectigalia etc.

3^o *Lex naturalis in terris non est sufficienti sanctione munita.* Lex naturalis perfectam sanctionem in altera vita habet, attamen multi homines sunt adeo protervi et ad vitia prona, ut a delictis non absterneant nisi *ex metu pœnarum temporalium*. Atqui *societas* finem suum *in terra* attingere non potest, nisi per *pœnas temporales delicta* coerceat. 1) Ergo pro vita sociali necessarium est legem naturalem nova sanctione positiva et temporali muniri. 2)

406. Scholium. *Non tamen eadem est necessitas cujuscumque legislationis positivæ*, ut paucis explicabimus. Nimirum

A. *Promulgatio positiva legis naturalis*, spectato etiam solo ordine *naturali*, in præsentia conditione naturæ lapsæ, est *moraliter* necessaria, ut ipsa ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possit. 3) Hæc vero necessitas non fundatur in aliqua naturæ humanæ *exigentia*, quasi Deus *teneretur* legem naturalem positive seu aliquo signo externo promulgare, sed est quædam naturæ infirmæ *indigentia*, cui per revelationem succurrere *consentaneum* est bonitati divinæ.

B. *Lex positiva divina supernaturalis homini absolute*

1) *Deus*, qui animam immortalem *in æternum* punire potest, *in tempore* potius misericordiam quam iudicium exercet. — 2) 1. 2. q. 91, a. 3; 1. 2. q. 95, a. 1; Suarez, lib. 1, cap. 3, N. 18 et 19. — 3) c. *Gent.* lib. 1, cap. 4; Conc. Vatic. Constit. *Dei Filius*, cap. 11.

necessaria est, *posita hypothesis* elevationis ad ordinem supernaturalem; secus enim nullatenus cognosceret officia huic ordini *connexa*. ¹⁾ Hæc autem necessitas non fundatur in aliqua naturæ *exigentia* vel etiam *indigentia*, sed, creatione etiam supposita, in *libero* omnino ac *gratuito* decreto divino elevandi hominem.

C. *Legislatio ecclesiastica* est *absolute* necessaria, supposita institutione Ecclesiæ, ut societatis inæqualis ac perfectæ. ²⁾ Hæc pertinet ad ordinem supernaturalem et intendit sanctificationem supernaturalem hominis.

D. *Legislatio civilis* in præsentî ordine providentiæ divinæ profluit ex *ordinis naturalis exigentia*, ut patet ex *Propos. præc. parte II*, et magis declarabitur in *Ethica speciali*.

§ III.

Utrum leges positivæ quoad suam vim obligativam a lege naturali pendeant.

407. Prænot. I. Quæstio non est, *utrum obliget* lex positiva, sed *quisnam sit fons*, unde ejus vis obligativa dimanet. — Nec quæritur quisnam sit fons *immediatus*; siquidem in aperto est obligationem *immediate* profluere ex *voluntate legislatoris immediati*. — Controversia est circa fontem *mediatum* et *ultimum*. — Iste est *lex naturalis*, in qua ultimatum fundatur quæcumque lex positiva.

II. Duplici autem modo lex positiva in lege naturali fundari potest: 1^o tamquam in *causa*, 2^o tamquam in

¹⁾ c. *Gent.* lib. 1, cap. 5; 1. 2. q. 91, a. 4. — ²⁾ Suarez, lib. 1, cap. 3, N. 20.

conditione necessaria.

Jam vero lex positiva *divina* præsупponit legem naturalem, tamquam *conditionem necessariam*; nam homo eatenus tantum se tali lege positiva ligari existimat, quatenus *antecedenter*, adeoque *naturaliter* intelligit Deo obediendum esse etiam cum aliquid præcipit, quod est *præter* vel *supra* naturalem ordinem. — *Idem* dicatur de *auctoritate ecclesiastica*, quæ per *positivam* ac *supernaturalem* Dei ordinationem est instituta. ¹⁾

Quod legem *civilem* affinet, hæc pendet a lege naturali 1^o tamquam a *causa efficiente*, a qua vim obligandi accipit, 2^o tamquam a *causa exemplari*, cui conformari debet, ut recta sit.

... PROPOSITIO ...

Lex civilis a lege naturali pendet 1^o in eo quod ab ea vim obligativam accipiat, 2^o in eo quod ei conformari debeat, ut recta sit.

408. Prob. pars I. A lege naturali vim obligativam accipit. Id deducitur ex conceptu obligationis moralis: hæc enim concipi nequit in uno sine correlativa auctoritate in altero (N. 337). — Atqui nullus homo per se auctoritatem habet; nam auctoritas fundatur in dominio, quod per se soli Creatori competit, non hominibus, qui inter se naturaliter æquales sunt et independentes. — Ut ergo lex civilis moraliter obligare possit, necessaria sunt hæc duo principia: a) ordinem naturalem a Creatore institutum exigere, ut in societate sint, qui præcipiant, et qui obediant; b) naturaliter debitum esse hunc ordinem servari.

¹⁾ Suarez, lib. 2, cap. 9, N. 13.

Prob. pars II. *Legi naturali conformari debet, ut recta sit.* Id patet ex natura et fine legis, quæ essentialiter est ordinatio rationis ad bonum commune. — Atqui lex naturalis nihil aliud est nisi participatio legis æternæ, per quam Legislatores supremus ac universalis omnia creata dirigit in *bonum commune totius universi*; huic autem fini supremo congruere debet bonum a lege civili intentum; secus enim a ratione veri boni deficeret. Hinc S. Thomas: „Rationis autem prima regula est lex naturæ. Unde omnis lex humanitas posita in tantum habet de ratione legis, in quantum a lege naturæ derivatur. Si vero in aliquo a lege naturali discordet, jam non erit lex, sed *legis corruptio.*” ¹⁾

409. Scholium I. *Leges civiles derivantur a lege naturali duplici modo.* „Sed sciendum est, quod a lege naturali dupliciter potest aliquid derivari; uno modo sicut *conclusiones ex principiis*, alio modo sicut *determinationes quædam aliquorum communium.*” ²⁾ Ita lex civilis homicidium prohibens est *conclusio* deducta ex principio universali legis naturalis, *nulli esse faciendum malum*; e contra lex civilis, statuens furem per tres menses esse incarcerandum, est *determinatio* præcepti naturalis, *malefactores esse puniendos*. Quæ posteriori modo a lege civili statuuntur, vim habent ex sola lege humana; quæ priori modo statuuntur, etiam a lege naturali vim accipiunt. ³⁾

410. Scholium II. Licet leges humanæ suam obligandi vim a lege *divina naturali* accipiant, lex tamen *pure humana* non obligat ex *jure divino naturali*,

¹⁾ 1. 2. q. 95, a. 2. Vide 1. 2. q. 93, a. 3. — ²⁾ 1. 2. q. 95, a. 2. —

³⁾ Hæc latius explicata vide in Leon. XIII Encycl. *Libertas*, § „*Quæ vero de libertate*” etc.

originem auctoritatis defendit, in eundem tamen errorem prolapsa est. Vide infra *Cap. VI.* ¹⁾)

Hinc quæritur: 1^o *Quenam sint essentialia conditiones pro valore legis humanæ*; 2^o *utrum subditi debeant vel saltem licite possint obedire legi humanæ illis essentialibus conditionibus destitutæ, adeoque invalidæ.*

PROPOSITIO I.

Ad valorem legis humanæ requiritur 1^o ex parte auctoris, legitima potestas, 2^o ex parte materiæ, ut non repugnet legi superiori, et moraliter possibilis sit, 3^o ex parte finis, ut ordinetur ad bonum commune, 4^o ex parte formæ, ut onera secundum æqualitatem proportionis subditis imponat.

413. **Prob. pars I.** *Ex parte auctoris legitima potestas*, et quidem tum respectu subditorum, tum respectu materiæ. Ubi enim in legis auctore deficit potestas divinitus communicata seu *jus imperandi*, ibi in aliis haberi nequit correlativa obligatio moralis. Hinc invalida est lex civilis, quæ fertur ab eo, qui nullam jurisdictionem civilem habet; ²⁾ vel quæ fertur a legitimo quidem principe, sed in homines sibi non subditos; vel quæ fertur a legitimo principe in subditos, sed in materia sibi non subdita, qualis est lex civilis dirimere præsumens matrimonium christianum.

Prob. pars II. *Ex parte materiæ (a) non repugnet legi superiori.* Quidquid pugnat cum lege superiore, etsi humana (qualis est ecclesiastica relate) ad (civilem), sal-

¹⁾ Stöckl, § 84, N. 13, seqq. — ²⁾ De lege lata ab auctoritatis usurpatore, qui est in quieta possessione, sermo erit in *Ethica speciali*.

*Ex parte
a. auctoris
moraliter
possibilis
finis.*

*Lex in publico
verbo promulgata
est legi humanæ*

tem *mediate* pugnat cum lege *naturali*, et eo ipso ordinatio humana, talem actum præscribens, non est lex, sed *legis corruptio*, adeoque invalida. — *Præterea* in legislatore inferiore concipi nequit potestas *divinitus communicata* ad obligandos subditos *contra* legem Dei vel etiam legislatoris humani in altiore potestate constituti; secus enim *Deus sibi contradiceret*. Hinc invalidæ sunt leges civiles jubentes cultum idolorum, prohibentes prædicationem Evangelii, adscribentes clericos militiæ.

Ex parte materiæ b) *sit moraliter possibilis*; i. e. non nimis onerosa generalitati membrorum societatis; talis enim lex a paucis dumtaxat observaretur, adeoque *bono communi non congrueret*, sed potius in societatis ac membrorum ruinam vergeret. ¹⁾

Itaque *ordinarie* et *per se* a legislatore humano præcipi nequeunt actus nimis difficiles; attamen *extraordinarie*, i. e. urgente necessitate boni communis, actus difficiliore, imo cum ipso mortis periculo, imponi possunt. Ita miles etiam cum mortis periculo custodire debet stationem periculosam sibi in bello commissam. — Pariter *per accidens*, i. e. posita aliqua hypothesi pendente a libera subditi electione, actus difficiliore, imo heroicis imperari posse, extra controversiam est. Exemplum habes in lege de perpetuo cælibatu adstringente

¹⁾ Merito Suarez observat: „In hoc est magna differentia inter *Deum* et *hominem*, quod Deus aliqua potest præcipere impossibilia naturæ, quia potest illa facere *possibilia per gratiam*, quam non negat, quantum in se est, quatenus ad præceptorum observationem necessaria est, et ideo semper est præceptum Dei de re possibili Homines autem non possunt dare vires ad præcepta implenda, et ideo illas *supponere necessario debent*, vel ex natura vel ex gratia juxta præcepti conditionem.” lib. 1, cap. 9, N. 16. Attamen hanc conditionem possibilitatis etiam Deus ipse suo modo observat; nam ideo non præcepit v. g. paupertatem evangelicam, sed mere consultit. Suarez, l. c., N. 17.

eos, qui libere sacros ordines suscipiunt.

Prob. pars III. *Ex parte finis, ut ordinetur ad bonum commune.* | Siquidem lex est ordinatio rationis ad bonum commune, et princeps *atenus* auctoritatem habet, *quatenus* societatem in finem, qui in bono communi consistit, dirigere debet. Ergo lex, suo fini essentiali seu bono communi non proportionata, est invalida. —

Præterea subditi non sunt societatis mancipia, sed personæ juribus, tum connatis tum acquisitis, præditæ. Atqui, seclusa causa proportionata necessitatis socialis, jura adimere vel limitare *injustum* est. Hinc invalida est lex, quæ civibus personale tributum militiæ imponit, si aliis modis custodiæ ordinis publici ac defensionis patriæ possit consuli.

Prob. pars IV. *Ex parte formæ, ut onera secundum æqualitatem proportionis subditis imponat;* secus enim violatur jus illorum, qui plus cæteris gravantur. Hinc invalida est lex, quæ ex omnium civium tributis providet scholis formaliter acatholicis, quum scholas catholicas propriis Catholicorum expensis relinquat.

Quoad hanc conditionem quartam cum Suarezio ¹⁾ animadvertas: ut aliqua lex per se ad bonum commune conducens, sed ratione *formæ* seu *modi* injusta, respectu *omnium* haberi possit invalida, non sufficit qualiscumque in oneribus imponendis inæqualitas, sed requiritur tanta inæqualitas, ut redundet in detrimentum commune, et in grave ac injustum onus plurium membrorum. ²⁾

414. Coroll. Itaque jure merito in *Syllabo* dam-

¹⁾ lib. 1, cap. 9, N. 14. — ²⁾ Quoad Propositionem istam vide I. 2. q. 96, a. 4; Suarez, lib. 1, cap. 9.

relativne pøskonekyhed.
Juslibe distribucia

By relative oner
melykæ modne
atliker hofcomplan
dividua (af de omstændig
heder)

natae sunt sequentes propositiones: XXXIX: „*Reipublicae status, utpote omnium jurium origo et fons, jure quodam pollet nullis circumscripto limitibus.*” — LVI: „*Morum leges, divina haud egent sanctione, minimeque opus est, ut humanae leges ad naturae jus conformentur aut obligandi vim a Deo accipiant.*” — LVII: „*Civiles leges possunt et debent a divina et ecclesiastica auctoritate declinare.*” ¹⁾

PROPOSITIO II.

Lex injusta per se non obligat; quinimo non licet observare legem, quae ex parte materiae injusta seu inhonesta est.

415. PRAENOT. I. Propositio respondet ad quaestionem secundo loco (N. 412) positam: utrum subditi debeant vel saltem *licite possint* obedire legi humanae *invalidae*.

II. Dicitur ^{de illegitima voluntate q. aut. self} *per se non obligat*; nam *per accidens*, seu occasione talis legis *invalidae*, aliunde potest oriri obligatio praestandi id, quod praecipit lex illa; nimirum „propter vitandum scandalum vel turbationem, propter

in n. 415
andere vel
van. f. 415
il. min. de h. d.

¹⁾ Imo non desunt inter Liberalistarum principes, qui, rei evidentia coacti, theoretice saltem auctoritatis civilis omnipotentiam abnuunt. Ita v. g. Bluntschli: „Das Recht des Staates ist nicht ein *absolutes* über den Menschen, daher auch der Gehorsam, welchen der Staatsbürger der Obrigkeit, der Privatmann der Staatsgewalt schuldet, kein absoluter. Wo das menschlich-irdische Recht an die Grenze seiner Macht gekommen, wo das innere unsichtbare Geistesleben in angeborener Freiheit waltet, da hat vorerst auch der staatliche Gehorsam sein Ende gefunden.” *Die Lehre vom modernen Staat*, Bd. 2, S. 604. Pariter inter nostrates Thorbecke: „Het zijn in wezen, bestemming en middelen andere levensmagten dan de staatsmagt, welke de kerk, het onderwijs, wetenschap, kunst, maatschappelijk te vormen en te besturen hebben; magten in wier sfeer burgerlijk overheidsgebod of dwang niet te pas komt.” *Narede*, bl. VIII. Plura vide in *Ethica speciali*.

quod etiam homo juri suo debet cedere." ¹⁾ In tali casu, qui sæpe aderit, *subintrat lex naturalis*. Dicitur 2^o *non licet observare legem, quæ ex parte materiæ injusta seu inhonesta est*. E contra, si lex non præcipit rem *inhonestam*, sed solummodo injusta est ex parte *auctoris*, vel ex parte *finis*, vel ex parte *formæ*, seu per contrarietatem ad bonum *humanum*, tunc „licet lex de se non obliget, *potest* subditus illi parere, si vult, dummodo *injustitiæ non cooperetur, quia potest cedere juri suo.*" ²⁾

416. Prob. pars I. Lex injusta per se non obligat.

Tales leges „magis sunt *violentie* quam leges, quia, sicut Augustinus dicit, *lex esse non videtur, quæ justa non fuerit.*" ³⁾ Atqui *violentia physice* quidem cogere potest debiliorem, eodem modo, quo latrones inermem viatorem excutiunt; sed voluntatem moraliter ligare nequit.

Prob. pars II. Non licet observare legem inhonestam, sed tali lege urgente, potius mori quam fœdari officium est. Etenim, ut ait Grotius, „Apostoli, cum dixerunt, *Deo magis quam hominibus obediendum, ad certissimam provocarunt regulam omnium inscriptam mentibus.*" ⁴⁾

„Neque tamen est, cur *abjicisse obedientiam*, qui ita se gerant, arguantur; etenim si principum voluntas cum Dei pugnat voluntate et legibus, ipsi potestatis suæ modum excedunt, justitiamque pervertunt: neque eorum tunc valere potest auctoritas, quæ, ubi justitia non est, nulla est." ⁵⁾

¹⁾ I. 2. q. 96, a. 4. — ²⁾ Suarez, *De leg.* lib. 1, cap. 9, N. 18. —

³⁾ I. 2. q. 96, a. 4. — ⁴⁾ *De jure belli et pacis*, lib. 1, cap. 4. Vide Stimmen aus Maria-Laach, XIII, *Der Gehorsam gegen die menschlichen Gesetze*, pag. 298 et 388. — ⁵⁾ Leo XIII, *Encycl. Diuturnum*, tom. 1, pag. 215. Conf. *Encycl. Quod Apostolici*, tom. 1, p. 50.

Hæc autem veritas tanta evidentiâ rectæ rationi affulget, ut inter moderni juris magistros iterum Bluntschli doceat ipsis officialibus incumbere officium negandi obedientiam legi civili, quoties aliquid exigatur moribus vel religioni contrarium. ¹⁾

417. Nota pro solvendis difficultatibus.

1^o Doctrina Philosophiæ christianæ valorem legum civilium nequaquam submittit *arbitratui subditorum*. Si quidem necessarium est, „ut de injustitia legis *certo moraliter constet*; nam si res sit dubia, præsumendum est pro legislatore; tum quia habet altius jus et illud possidet; tum etiam quia regitur altiori consilio, et potest habere rationes universales subditis occultas; tum etiam quia alias subditi sumerent nimiam licentiam non *parendi legibus*, quia vix possunt esse tam justæ, quin possint ab aliquibus per apparentes rationes in dubium revocari.” ²⁾

2^o Nedum Philosophia christiana quidquam detrahat *majestati legis*, e contra majestati legis prospicit, et quidem ita, ut simul subditorum saluti consulat. Rejecto siquidem auctoritati admodum pernicioso juris moderni commento, *imperium ex voluntate populari fuisse exortum*, e contra potestatem civilem considerat tamquam *divinæ potestatis communicationem*, qua ex causa continuo illa potestas adipiscitur *dignitatem humana majorem*. ³⁾ At vero distinguens inter *legem* et *legis corruptionem*, hanc contemnit, illam vero reveretur.

¹⁾ Staatswörterbuch. Artic. Staatsdiener. — ²⁾ Suarez, *De leg.* lib. I, cap. 9, N. 9. In dubio de justitia legis S. Alphonsus duos casus excipit: 1^o si lex sit nimis ardua, 2^o si grave damnum subdito afferat, lib. I, N. 99. — ³⁾ Conf. Eueyel. *Diuturnum*, tom. I, p. 214.

dam imperfecta in multis deficientia, quæ posteriores mutaverunt, instituentes aliqua, quæ in paucioribus deficere possunt a communi utilitate."

„*Ex parte vero hominum* (seu subditorum), quorum actus lege regulantur, lex recte mutari potest propter mutationem conditionum hominum, quibus secundum diversas eorum condiciones diversa expediunt; ¹⁾ sicut Augustinus ponit exemplum, quodsi populus sit bene moderatus et gravis, communisque utilitatis diligentissimus custos, recte lex fertur, qua tali populo liceat creare sibi magistratus, per quos respublica administratur. Porro, si paulatim idem populus depravatus habeat veniale suffragium, et regimen flagitiosis sceleratisque committat, recte adimitur populo talis potestas dandi honores, et ad paucorum redit arbitrium." ²⁾

421. Non leviter tamen existentes leges etiam in meliores mutandæ sunt. „Habet ipsa legis mutatio, quantum in se est, detrimentum quoddam communis salutis, *quia ad observantiam legum plurimum valet consuetudo*; in tantum quod ea, quæ contra communem consuetudinem fiunt, etiamsi sint leviora de se, *graviora videntur*. Unde quando mutatur lex, diminuitur vis constrictiva legis, in quantum tollitur consuetudo. ³⁾ Et ideo nunquam debet mutari lex humana,

¹⁾ Hinc quoque intelligitur magna illa legum civilium *varietas*, quam elegantius expressit Edmond Burke: „Il y a dans la nature des sources de justice, d'où toutes les lois découlent comme des ruisseaux; et, de même que les eaux prennent la teinte et le goût des différents terrains, qu'elles traversent, ainsi les lois civiles varient avec les régions et les gouvernements des diverses contrées, quoique provenant des mêmes sources." Apud Lucien Bran, *Introd. à l'étude du droit*, pag. 36. — ²⁾ l. 2. q. 97, a. 1. — ³⁾ Merito Rousseau: „C'est surtout la grande antiquité des lois, qui les rend saintes et vénérables; le peuple méprise bientôt celles, qu'il voit changer tous les jours." *Discours sur l'inégalité parmi les hommes. Préface.*

nisi ex alia parte tantum recompensetur communi saluti, quantum ex ista parte derogatur. Quod quidem contingit vel ex hoc quod aliqua maxima et evidentissima utilitas ex statuto provenit, vel ex eo quod est maxima necessitas, vel ex eo quod lex consueta aut manifestam iniquitatem continet, aut ejus observatio est plurimum nociva." 1)

422. Modus, quo lex humana mutatur, est multiplex. Siquidem :

a) Lex totaliter cessat: 1^o per abrogationem expressam vel tacitam legislatoris, 2^o per cessationem finis adæquati in communi, 3^o per legitimam consuetudinem contrariam.

b) Tollitur lex aut legis obligatio partialiter: 1^o per derogationem, quæ est partialis abolitio legis a legislatore vel legitima consuetudine statuta, 2^o per dispensationem, quæ est relaxatio legis in casu particulari respectu nonnullorum legitima auctoritate facta, manente tamen legis obligatione quoad cæteros subditos.

Et hi sunt quidem præcipui modi, quibus mutantur leges humanæ. Hæc latius explicata vide in *S. Theolog.* — Quoad leges civiles tamen obiter notetur, apud modernos Jurisperitos passim nonnisi unam cessationis causam theoretice admitti, n.p. revocationem explicitam vel implicitam. 2) Quinimo ad mutandas leges fundamentales non sufficit potestas legislativa ordinaria. 3)

1) I. 2. q. 97, a. 2. — 2) *Wet houdende Algemeene Bepalingen*, Art. 3 et 5. — 3) *Grondwet*, Art. 195.

ARTICULUS V.

De Legis applicatione seu de conscientia morali.

423. **P**rænot. I. Ut lex in actu secundo obliget (N. 339), sola legis *promulgatio* non sufficit, sed requiritur, ut lex singulis subditis *innotescat*, et tamquam regula *singulis actibus applicetur*. Hoc autem fit per conscientiam moralem, quæ „addit supra scientiam *applicationem* scientiæ ad actum *particularem*;" ¹⁾ et ideo conscientia actuum humanorum *subjectiva* ac *proxima* regula est.

II. Circa conscientiam quæritur: - 1^o ~~Quenam sit diversa nominis acceptio~~; 2^o *quomodo conscientia moralis dividatur in antecedentem et consequentem*; 3^o *quomodo definiatur conscientia antecedens*; 4^o *utrum conscientia obliget virtute propria, an virtute legis*; 5^o *quenam conscientia sit legitima agendi regula*; 6^o *quomodo, stante dubio speculativo, efformetur conscientia practice certa.*

424. **D**iversa nominis acceptio. „Conscientia secundum proprietatem vocabuli importat ordinem scientiæ ad aliquid: nam conscientia dicitur *cum alio scientia*." ²⁾ Porro nomen conscientiæ potissimum accipitur: 1^o *Pro cognitione*, quam habet anima de *semetipsa* et de actibus suis, seu pro conscientia *psychologica*; 2^o *pro anima*, ut si dicatur conscientia munda vel immunda; 3^o *pro synderesi* seu habitu primorum principiorum practitorum; 4^o *pro iudicio pratico de moralitate particularium actionum nostrarum*. Hæc est conscientia *moralis*.

425. **C**onscientia moralis est antecedens vel

¹⁾ De veritate, q. 17, a. 2, ad 2. — ²⁾ 1, q. 79, a. 13.

Conscientia non
est promulgatio
sed nota deinde
intra se habet
legem et actum
et cum se habet
sibi

Conscientia =
intellektuelle Teilhaft
an sich selbst

1^o selbstbewußt

consequens, prout respicit actiones ponendas ac omitendas vel actiones positas ac omissas. *Conscientia antecedens* præcipit, suadet vel permittit; *conscientia consequens* laudat vel accusat. ^{de obediencia in rebus foribus} 1) Ab hac conscientia consequente non pendet bonitas vel malitia actuum humanorum, 2) et ideo sola conscientia antecedens ad propositum nostrum spectant.

426. Definitio conscientiae antecedentis. *Judicium practicum rationis dictans aliquam actionem hic et nunc a nobis esse ponendam ut præceptam, vel omitendam ut prohibitam, vel nobis esse liberam utpote neque præceptam neque prohibitam.*

Explicatur definitio. Dicitur 1^o *judicium*; conscientia consistit in actu judicativo, non vero in aliqua *facultate*, qualis est *recta ratio*, neque in aliquo *habitu*, qualis est *synderesis*, necnon *scientia moralis et prudentia*. Dicitur 2^o *judicium practicum*; nam spectat ad *operationem*. Dicitur 3^o *judicium rationis*; siquidem non est quidam actus *voluntatis*, ut voluit Henricus Gandavensis, 3) neque *cæcus instinctus*, ut contendunt Sentimentalistæ (N. 170, seqq.), sed actus *rationis* principia legis *rationali discursu* ad opus particulare applicantis. Dicitur 4^o *dictans aliquam actionem hic et nunc a nobis* etc.; etenim conscientia non versatur circa moralitatem actionis in *genere* et in *abstracto* spectatæ, sed actionis in *particulari* et in *concreto* consideratæ, et quidem prout

1) De veritate, q. 17, a. 1. — 2) «Qua in re decipiuntur sæpe rudes. Dum enim vel libros legant vel conciones audiunt, judicant se in quibusdam peccasse, quando de malitia illorum actuum nunquam cogitaverant aut suspicati fuerant.» Ballerini, De conscientia, N. 8. — 3) Quodlibeto, I, q. 18. Forsan mera quæstio de nomine est; nam conscientia varie accipitur. Vide Suarez, De bonit. et malit. Disp. 12, s. 1.

Conscientia antecedens
= Septimus in mente
dicitur
conscientia consequens
part of script on
in de p. p. l. q. d. d.

Philosophus dicit de
habetur a nobis
quod dicitur obediencia
p. d. d.

etiam ad de veritate.

de bonitate dicitur
de bonitate dicitur
de bonitate dicitur
de bonitate dicitur
de bonitate dicitur
de bonitate dicitur

de bonitate dicitur
de bonitate dicitur
de bonitate dicitur
de bonitate dicitur

particulare cum lege comparat. Exemplo sit sequens ratiocinatio: Mendacium est prohibitum. Atqui responsum, de quo hic et nunc delibero, mendax est. Ergo responsum hoc mihi prohibetur.

427. Conscientia non ligat virtute propria, sed virtute legis. „Eadem virtus est, qua præceptum ligat et qua conscientia ligat, cum præceptum non liget nisi per virtutem *scientiæ*, nec scientia nisi per virtutem *præcepti*. Unde cum conscientia nihil aliud sit quam applicatio notitiæ ad actum, constat quod conscientia ligare dicitur vi præcepti divini.”¹⁾ Quinimo „humanæ rationis præscriptio vim habere legis non potest, nisi quia altioris est vox atque interpret rationis,”²⁾ ut supra N. 362 demonstravimus. Hinc, ut S. Bonaventura inquit, „conscientia est sicut *præco Dei* et nuntius; et quod dicit, non mandat *ex se*, sed mandat quasi ex Deo, sicut *præco*, cum divulgat edictum regis.”³⁾

428. Legitima agendi regula est conscientia certa, etiam quando est invincibiliter erronea. —

Est conscientia certa. Etenim lex nos obligat non modo ne *scienter* ipsam violemus, sed etiam ne ipsam transgrediamur per inquirendi *negligentiam*; et ideo peccat, qui agit *dubitans* de actionis honestate.

Etiam invincibiliter erronea [non quidem per se, sed per accidens.⁴⁾] — Etenim 1^o non licet agere *contra* eam; ratio est quia „conscientia erronea . . . illa quæ dicit, dicit esse legem Dei; et ideo transgressor illius conscientiæ transgressor efficitur legis Dei.”⁵⁾ Ergo „dicendum quod simpliciter omnis voluntas discordans a

¹⁾ De veritate, q. 17, a. 3. — ²⁾ Encycl. Libertas. — ³⁾ In II Sent. Dist. 39, a. 1, q. 3. — ⁴⁾ De veritate, q. 17, a. 4; In II Sent. Dist. 39, q. 3, a. 3. — ⁵⁾ De veritate, q. 17, a. 4, ad 3.

Conscientia non ligat virtute propria, sed virtute legis. Eadem virtus est, qua præceptum ligat et qua conscientia ligat, cum præceptum non liget nisi per virtutem scientiæ, nec scientia nisi per virtutem præcepti. Unde cum conscientia nihil aliud sit quam applicatio notitiæ ad actum, constat quod conscientia ligare dicitur vi præcepti divini. Quinimo humanæ rationis præscriptio vim habere legis non potest, nisi quia altioris est vox atque interpret rationis, ut supra N. 362 demonstravimus. Hinc, ut S. Bonaventura inquit, conscientia est sicut præco Dei et nuntius; et quod dicit, non mandat ex se, sed mandat quasi ex Deo, sicut præco, cum divulgat edictum regis.

Conscientia non ligat virtute propria, sed virtute legis. Eadem virtus est, qua præceptum ligat et qua conscientia ligat, cum præceptum non liget nisi per virtutem scientiæ, nec scientia nisi per virtutem præcepti. Unde cum conscientia nihil aliud sit quam applicatio notitiæ ad actum, constat quod conscientia ligare dicitur vi præcepti divini. Quinimo humanæ rationis præscriptio vim habere legis non potest, nisi quia altioris est vox atque interpret rationis, ut supra N. 362 demonstravimus. Hinc, ut S. Bonaventura inquit, conscientia est sicut præco Dei et nuntius; et quod dicit, non mandat ex se, sed mandat quasi ex Deo, sicut præco, cum divulgat edictum regis.

Conscientia non ligat virtute propria, sed virtute legis. Eadem virtus est, qua præceptum ligat et qua conscientia ligat, cum præceptum non liget nisi per virtutem scientiæ, nec scientia nisi per virtutem præcepti. Unde cum conscientia nihil aliud sit quam applicatio notitiæ ad actum, constat quod conscientia ligare dicitur vi præcepti divini. Quinimo humanæ rationis præscriptio vim habere legis non potest, nisi quia altioris est vox atque interpret rationis, ut supra N. 362 demonstravimus. Hinc, ut S. Bonaventura inquit, conscientia est sicut præco Dei et nuntius; et quod dicit, non mandat ex se, sed mandat quasi ex Deo, sicut præco, cum divulgat edictum regis.

ratione, sive recta sive errante, semper est mala." ¹⁾ Etenim 2^o necessarium est agere *secundum* eam, si est præcipiens vel prohibens; siquidem non agere *secundum* eam, est agere *contra* eam. Præterea generale præceptum naturæ est *faciendi bonum necessarium, vitandi omne malum*. Atqui homo non alia ratione hoc præceptum adimplet, nisi *sese conformando conscientiæ certæ*, etsi invincibiliter erroneæ; — voluntas enim, cum sit potentia *cæca*, alio modo ad recte agendum duci non potest, nisi secundum id, quod ipsi ab intellectu proponitur. — Nec obstat peccatum *materiale*, nam in casu malitia *non imputatur agenti* (N. 234), et peccatum materiale, sicut alii naturæ defectus, a Deo *permittitur*. ²⁾

429. Attamen, stante dubio *speculativo* de actionis honestate *objectiva* seu *materiali*, haberi potest conscientia *practice* certa de ejusdem actionis honestate *subjectiva* seu *formali*. Sæpe contingit *Majorem* vel *Minorem* syllogismi, quo conscientia efformanda est, dubiam vel saltem nonnisi probabilem esse, ita ut *certitudo moralis* de honestate actionis *directe* comparari nequeat. Attamen, manente licet *speculativo* dubio, *indirecte* seu ex quibusdam certis et generalibus principiis *aliunde* adductis (quæ principia *reflexa* vocantur, quia *flectuntur* in rem particularem elucidandam) conscientia *practice* certa potest efformari. Si quis dubitet utrum aliqua actio sit lege prohibita, et debita veritatis inquisitione dubium expelli non possit, quia utrinque stat sententia probabilis, hoc modo *indirecte* sibi efformat conscientiam moraliter certam: *Lex dubia non obligat* (principium reflexum). Atqui lex, hanc

¹⁾ 1. 2. q. 19, a. 5. — ²⁾ Suarez, *De bonit. et malit.* Disp. 12, s. 4.

actionem prohibens, propter sententiam probabilem negantem non certa, sed dubia est. Ergo *certe non obligor* ad hanc actionem omittendam.

Hæc pauca, quæ nonnisi summatim attigimus, pro scopo nostro sufficiant; siquidem in *S. Theologia* de conscientia, et nominatim de *Probabilismo* late tractari solet.

Caput VI.

De juribus et officiis.

430. Prænot. I. Philosophia moralis, ut in *Introd. VII* monuimus, complectitur *totum ordinem* moralem, tum quatenus *pure moralis*, tum quatenus *strictè juridicus* est. Itaque etiam ad *Ethicam generalem* pertinet explicare principia *generalia* ordinis *juridici*, quæ in *Ethica speciali* diversis hominum statibus et conditionibus *applicantur*.

II. Porro generalia hæc principia quinque *Articulis* expendemus: *I De natura et partitione juris*; *II de natura et partitione officii*; *III de juris origine et caractere morali contra errores modernos*; *IV de existentia juris naturalis, deque habitudine inter jus naturale et jus positivum*; *V de jurium et officiorum limitatione ac collisione*.

ARTICULUS I.

De natura et partitione juris.

431. Prænot. De jure generatim accepto quaeritur: 1^o *Quotuplici sensu jus accipiatur*; 2^o *quid sit relatio juridica*; 3^o *quisnam sit finis ordinis juridici*;

4^o *utrum ordo juridicus coactiva inviolabilitate munitus sit*; 5^o *quomodo jus dividatur.*

§ I.

Juris sensus sunt duplex. **Quotuplex sensu jus accipitur.**

432. Juris etymon. De juris etymologia dissentiunt philologi. Plerique recentiores cum Forcellini ¹⁾ nomen deducunt a *jubendo*, quatenus jus idem est ac *jussum* seu id, quod lege constitutum est. Alii vero cum S. Isidoro ²⁾ jus derivant a *justo*, i. e. ab æqualitate alteri debita; dicuntur enim vulgariter ea, quæ adæquantur, *justari*. ³⁾ Cui explicationi consonat nomen græcum *δίκαιον*, quo, teste Aristotele, a Græcis jus appellatur. ⁴⁾

I jus passivum
433. Diversa juris acceptio. Jus accipitur 1^o pro *justo* (jus passivum), 2^o pro *lege* (jus præceptivum, objectivum), 3^o pro *facultate morali* (jus activum, subjectivum).

434. I. Jus acceptum pro justo est *objectum* justitiæ, quæ reddit unicuique suum. Atqui per justitiæ designatur tum *A complexio omnium virtutum*, tum virtus quædam *specialis* (N. 304). Pari modi *justum sensu generali* vel magis *speciali* usurpatur.

A. *Justum generatim acceptum* denotat quodcumque morale debitum, seu *quidquid moraliter rectum est*. ⁵⁾

B. *Justum sensu speciali acceptum* est *objectum justitiæ*, in quantum hoc nomine intelligitur *virtus specialis* (N. 304—311).

¹⁾ *Lexic.* in h. v. — ²⁾ *Etym.* lib. 5, cap. 3. — ³⁾ 2. 2. q. 57, a. 1. — ⁴⁾ *V Ethic.* cap. 4; Silv. Maurus, in h. l. — ⁵⁾ Pari modo latiore vel strictiore sensum habet vox Neerl. et German. "*recht*," et nomen gallic. "*droit*."

435. Magis explicatur justum sensu speciali acceptum.

1^o Justum respicit ordinem externum hominum ad invicem et ad societatem. — „Justitiæ proprium est inter alias virtutes, ut ordinet hominem in his, *quæ sunt ad alterum.*” 1) „Cum justitia ordinetur ad alterum, non est circa totam materiam virtutis moralis, sed solum circa exteriores actiones et res, secundum quamdam rationem objecti specialem, prout scilicet secundum eas unus homo alteri coordinatur.” 2) Hinc „materia justitiæ est exterior operatio, secundum quod ipsa, vel res, cuius est usus, debitam proportionem habet ad aliam personam.” 3)

2^o Justum valde differt ab objecto aliarum virtutum. — „Rectum in operibus aliarum virtutum . . . non accipitur nisi per comparisonem ad agentem, Rectum vero, quod est in opere justitiæ, etiam præter comparisonem ad agentem, constituitur per comparisonem ad alium. Illud enim in opere nostro dicitur esse justum, quod respondet secundum aliquam æqualitatem alteri, puta re-
compensationem mercedis debitæ pro servitio impensio.” 4)

3^o Objectivus character justi non pendet a conditione agentis. In aliis virtutibus, v. g. in temperantia, rectum ne materialiter quidem aderit, nisi commensuratum sit conditioni personæ agentis; e contra in justitia rectum materialiter aderit, dummodo opus sit commensuratum alteri; „et propter hoc specialiter justitiæ præ aliis virtutibus determinatur secundum se objectum, quod vocatur justum.” 5)

1) 2. 2. q. 57, a. 1. — 2) 2. 2. q. 58, a. 8. — 3) 2. 2. q. 58, a. 10. — Attamen etiam actus interni justi vel injusti sunt, quatenus natura sua ordinantur ad externos actus injustos. Vide 2. 2. q. 60, a. 3. — 4) 2. 2. q. 57, a. 1. — 5) 2. 2. q. 57, a. 1.

Handwritten note: *Handwritten note: Delectabile dicitur quod est in se bonum et non in se malum. Ita dicitur de bono et malo in se.*

Handwritten note: *Indivisibile dicitur quod est in se bonum et non in se malum. Ita dicitur de bono et malo in se.*

Handwritten note: *Delectabile dicitur quod est in se bonum et non in se malum. Ita dicitur de bono et malo in se.*

Handwritten note: *Delectabile dicitur quod est in se bonum et non in se malum. Ita dicitur de bono et malo in se.*

Ut tamen in materia justitiæ rectum etiam *formaliter* habeatur, et prout ab habitu *virtutis* procedit, præterea requiritur recta intentio cum debitis circumstantiis. Secus agens operaretur quidem *justum*, sed non *juste ageret*.¹⁾

4^o *Justum alteri debetur tamquam suum*. „Proprius actus justitiæ nihil aliud est, quam reddere unicuique quod *suum* est;”²⁾ jam vero „dicitur esse suum alicujus quod *ad ipsum ordinatur*,”³⁾ i. e. in ipsius *utilitatem* est destinatum.

Justitia per se commutativa.
5^o *Illud suum est triplex pro triplici hominum ordinatione ad invicem* (N. 308—310).

6^o *Attamen in sola justitia commutativa suum intelligitur sensu rigoroso*. Siquidem jus commutativum consistit in quadam prælatione morali, qua hic homo omnibus aliis in usu alicujus rei præfertur propter *peculiarem connexionem*, quam res ista cum hoc homine potius quam respectu alterius habet; quo fit, ut illa res *sit exclusive destinata propriae utilitati hujus hominis, exclusis cæteris*. — Hæc est *connexio proprietatis*, quæ v. g. est inter agrum et agri dominum.⁴⁾

¹⁾ 2. 2. q. 59, a. 2, ad 3. — Ex doctrina Angelici hætenus exposita patet, quanta injuria Stahl (*Geschichte der Rechtsphilosophie*) scripserit S. Thomam latuisse discrimen, quo in hac vita terrestri distinguatur ordo *juridicus* ab ordine *pure morali*, et S. Doctorem confundere *subjectivam virtutem* justitiæ cum *ordine objectivo juris*. — E contra Grotius noster lectionem 2æ 2æ Maurerio commendat (*Ep. LIV*). — Pariter inter hodiernos juris magistros, licet protestantes, non desunt, qui Angelicum summis laudibus celebrant; ita inter alios Rudolph Von Ihering (*Der Zweck im Recht II*, 2æ Aufl. p. 161), inter nostrates Van der Vlugt (*In den strijd om het recht*, De Gids, 1889). Quinimo *doctrinam Angelici*, instigante professore J. de Louter, ex auctoritate Rectoris Magnifici J. A. C. Oudemans, pro gradu Doctoris consequendo in Universitate Ultrajectensi publice propugnavit sacerdos catholicus W. Nolens in egregia dissertatione, *De leer van den H. Thomas van Aquine over het recht*. Utrecht, Beijers, 1890. — ²⁾ 2. 2. q. 58, a. 11. — ³⁾ 1. q. 21, a. 1, ad 3. — ⁴⁾ De Lugo, *De justitia*, Disp. 1, s. 1, N. 5, seqq.

27. Nov. 1909

B E contra in justitia *legali*, connexio inter societatem et membra non est ejusmodi, ut membra censi debeant societatis *proprietas*; sed est connexio *partis ad totum*, quæ exigit, ut omnes ad bonum *totius* concurrant; hoc autem bonum est *commune* omnibus membris; inde fit ut nullum membrum ab illo bono, tamquam *alteri vere proprio*, excludatur.

nisi non erit aliquid
maximè ut in 3. de
deus la. tragica. hinc
inducendo? hinc erit
nisi sit bonum totius.

C Demum in justitia *distributiva* connexio inter membra societatis et bona communia non est talis, ut aliquis civis ullum ex his tamquam *strictè suum* exigere possit, sed est connexio *totius ad partes*, vi cujus id, quod est totius, est quodammodo partis. ¹⁾

Inde æqualitas, quam respicit justitia distributiva, non est æqualitas cum jure *dominii formalis* vel *æquivalentis*, quod quisque habet in *rem suam*, sed cum jure minus stricto, scilicet cum *dignitate*, quam *aliquis habet ad commoda communia.* ²⁾

436. II. Jus accipitur pro lege, quæ est *norma objectiva* justitiae. Hinc sumitur quoque pro *legum completionem ac systemate*, ut si dicatur jus canonicum; imo pro *sententia judicis*, quæ est legis applicatio; tandem pro *loco*, ubi agitantur causæ judiciales; hoc sensu judices jus dicunt, et rei in jus vocantur.

et ratio quæ...
de jure...
pro...

Jus pro lege acceptum generali vel speciali sensu sumitur, prout denotat legem *quancumque* vel solam legem *juridicam*, quæ est norma justitiæ.

437. III. Jus acceptum pro facultate morali definitur: *Facultas moralis aliquid agendi, habendi vel exigendi inviolabilis.* ³⁾

Jus subjectivum

¹⁾ 2. 2. q. 61, a. 1, ad 2. — ²⁾ De Lugo, *De justitia*, Disp. 1, s. 3, N. 47. — ³⁾ Suarez, *De leg.* lib. 1, cap. 2, N. 5.

Explicatur definitio. Dicitur 1^o facultas seu potestas; quo jus subjectivum opponitur officio, quo quis ad aliquid faciendum vel omittendum adstringitur. Dicitur 2^o facultas moralis; quo jus differt a vi physica seu materiali, quæ aliam vim materialem debiliorem vincit, et per quam lupus devorat agnum, tyrannus opprimat populum, latro coronatus rapit provincias alienas. Siquidem vis juris directe exercetur in voluntatem alterius, mediante ratione, non secus ac vis obligativa legis moralis. Inde fit ut jus existere possit sine vi physica, et vicissim vis physica sine jure. Quinimo jus violenter oppressum vividiore luce splendescere solet. Dicitur 3^o aliquid agendi etc.; quo denotatur juris objectum materiale. Hoc autem objectum est aliqua res, aliqua actio vel omissio, sive propria sive aliena, non vero aliqua persona (N. 19). Dicitur 4^o inviolabilis; quo jus distinguitur a mere licito seu ab eo, quod nulla lege prohibetur. Facultas licite aliquid faciendi est quidem facultas moralis, sed nisi quidpiam aliud accedat, in sui obsequium voluntates alienas non moraliter adstringit. Itaque per vocem inviolabilis denotatur reverentia, quam omnes alii debent facultati juridicæ, seu correlativum officium juridicum, quo sublato, jus foret nomen inane.

§ II.

Quid sit relatio juridica.

438. Relatio juridica. Quæcumque facultas juridica in uno existens in suo conceptu involvit essentialem respectum ad aliquod officium correlativum, quod ideo vocatur juridicum. Inde profluit quædam relatio,

Relatio juridica

et quidem relatio juridica; qualis relatio v. g. existit inter creditorem et debitorem.

Porro in omni relatione juridica distinguitur *subjectum*, *terminus*, *materia* et *titulus*.

Subjectum juris est persona, cui competit *facultas* juridica. Ista autem persona juridica iterum est aliqua persona *physica* seu individuum, vel aliqua persona *moralis* seu plurium personarum physicarum congregatio, qualis est v. g. societas domestica.

Terminus juris est persona, cui incumbit *obligatio* seu officium juridicum, seu *erga quam* altera persona facultatem juridicam habet.

Materia juris est aliqua res, *circa quam* jus versatur. Dicitur: aliqua *res*; nam *persona* non potest esse objectum juris *humani*.

Titulus juris est illud, in quo facultas et officium juridicum fundantur. Iste titulus consistit in *aliquo facto*, *ratione* cuius *lex* uni tribuit facultatem juridicam et alteri imponit officium correlativum.

Ordo juridicus est omnium relationum juridicarum *complexus*. Ad illum igitur ordinem pertinent omnes leges, omnes facultates, omnia officia juridica. *Iste ordo est pars ordinis moralis*, ut infra (N. 464) demonstrabimus.

[439. **Error circa juris subjectum.** Narrat Tullius quod „non mediocres viri, sed maximi et docti, ut Pythagoras et Empedocles, *unam omnium animantium conditionem juris* esse denuntiant.” ¹⁾ Hunc errorem renovavit Pantheismus et Darwinismus.]

¹⁾ De republica, lib. 3, cap. 11.

Huc spectat quoque quæstio de vivisectione. — Hoc autem nomine venit *quodcumque experimentum dolorosum in bruto animato*, sive fiat per sectionem, sive per adusionem, sive per venenum, sive per vim electricam, sive alio quocumque modo.

Jam a tempore *Galleni*, † 210, qui hujus operationis primus auctor dicitur, talia experimenta occurrunt; unde effatum: „*experimentum in anima vili.*” — Nostro vero tempore, crescentibus *Biologiæ* et *Physiologiæ* studiis, vivisectio in *Universitatibus* etiam publicis ubique terrarum invaluit.

Hanc operationem brutis acutissimos dolores inferre, plurimos ea abuti brutaque torquere ex animi feritate vel levitate, ex vana curiositate sine rationabili utilitate, nemo negabit. — Inde factum est, ut multi, etiam in patria nostra, contra vivisectionem tamquam rem *moraliter turpem* protestarentur, tum libris, tum libellis, tum petitionibus apud potestatem publicam, et hanc *abominatorem* penitus extirpari postularent.

Horror vivisectionis apud multos fundatur in falso *Sentimentalismo*, qui non sequitur rationis judicium, sed impressionem sensuum. — Inde non raro accidit, ut istiusmodi homines ad lacrymas moveantur, animalculi dolore conspecto, quum ergo miserias humanas habeant cor lapideum.

Sint ergo quæstiones duæ: 1^o *Utrum existat relatio juridica inter homines et bruta*; 2^o *Utrum vivisectio licita sit.*

PROPOSITIO I.

**Bruta animalia nequeunt esse subjectum juris,
et ideo homines nullis ergo bruta
officiis adstringuntur.**

440. Prob. I. Jus est facultas *essentialiter moralis* (N. 464). Atqui moralitas soli naturæ rationali propria est. Ergo.

PROPOSITIO II.

Vivisectio, dummodo intra limites veræ utilitatis humanæ contineatur, moraliter licita est.

Involuntaria
in
de
in
ad
in
in

442. Prænot. Dicitur: *dummodo intra limites veræ utilitatis contineatur*; siquidem *abusus tollendus, usus retinendus* est. Itaque supponimus vivisectionem peragi in *veram utilitatem* hominis, et organismo viventi non plus doloris inferri, *quam absolute necessarium* sit ad illum finem obtinendum.

443. Prob. Creator homini illum brutorum concessit usum, qui ipsi vere utilis est, et nulli officio morali repugnat. Atqui vivisectio maxime inservit bono humano, quin ulli officio morali repugnet. Ergo.

Prob. Maj. *Creator concessit usum utilem.* Id enim quod docent SS. Litteræ: „Dominamini piscibus maris, et volatilibus cæli, et universis animantibus, quæ moventur super terram,” ¹⁾ etiam manifestum est rationi naturali, ut N. 19 et 20 demonstravimus.

Qui nulli officio repugnat. Licet enim homo *erga* bruta nullo officio adstringatur, potest tamen animalium, non secus ac aliarum rerum usu violare aliquod officium (N. 441). Atqui intentio cæteroquin optima, utilitas quantumvis magna nunquam justificat actum *illicitum* (N. 204).

Prob. Min. pars I. *Vivisectio inservit bono humano.* Conventus medicorum mense Augusti a^o 1881 Londini habitus, cui ex omni terræ parte nomen dederant 3210 viri docti, ne uno quidem reclamante, proclamavit experimenta in bruto animato esse *Medicinæ perutilia*, quinimo hujus scientiæ profectui omnino *necessaria*. —

¹⁾ Gen. I, 28.

Præterea neminem latet quantos progressus nostris diebus scientia fecerit laboribus celeberrimi *Pasteur* et aliorum. — Non est igitur, quidquid alii obmurmurent, cur de *utilitate* vivisectionis dubitemus. — Nemini autem negotium facessat inter scientiæ cultores admodum invaluisse Materialismum; siquidem nihil refert utrum doctores illi in scientia *moralis* auctoritatem habeant, an ne, quum hic agatur de *utilitate physica*, circa quam illorum auctoritas maximi ponderis est.

Prob. Min. pars II. *Nulli officio morali repugnat.*
Etenim :

a) Non repugnat officiis *erga Deum*: Deus enim, ut modo vidimus, animalia in usum hominis destinavit.

b) Neque ulli officio *erga ipsum operantem*: si tale officium læderet, hoc exinde foret, quod efferatum redderet animum et humanitatis sensum obtunderet. Atqui vivisectionis usus *moderatus*, nedum aliquam speciem crudelitatis præ se ferat, veram humanitatem colit, quum, bruto posthabito, *consulat homini*. E contra bruto parcere in detrimentum hominis inhumanum est.

c) Neque ulli officio *erga alios homines*: siquidem supponimus operationem fieri in bruto legitime acquisito, et in tali loco, ut vivisectio nullum invitum offendere possit.

d) Neque ulli officio *erga bruta*: officia erga bruta non habemus. ¹⁾

¹⁾ Hanc quæstionem latius vide in Stimmen aus Maria-Laach, XX, *Ein Wort über die Vivisection*, pag. 11 et 276; XXI, pag. 437; Cathrein, I, pag. 444.

Dec 1904

§ III.

Quisnam sit finis ordinis juridici.

444. Prænot. Quoniam natura rerum ex eandem *fine objectivo* cognoscitur, ideo finis est fons, ex quo dimanat genuina juris idea. Ut igitur natura juris melius intelligatur, finem ordinis juridici breviter declarabimus. — Præ oculis habeatur distinctio justitiæ *commutativæ, legalis et distributivæ* (N. 307, seqq.).

445. I. Jus commutativum intendit externam libertatem mutuamque independentiam singulorum membrorum, quæ societatem efformant. Singuli siquidem homines creati sunt ut Deum glorificent, et ultimam perfectionem naturæ suæ in possessione Boni infiniti consequantur (*Cap. I, Art. I et II*). Homo itaque in Deum ordinatur *immediate*, et etiam ipsemet *sibi finis est*, nullatenus vero *purum medium* in bonum aliorum ordinatum (N. 18, seqq.). Inde profluit *dignitas, independentia et externa libertas* hominis in comparandis adhibendisque mediis ultimo fini consequendo necessariis ac congruis. Atqui hujus dignitatis, independentiæ ac libertatis *scutum* est justitia commutativa.

II. Jus legale respicit existentiam societatis. A Creatore homini *insitum* est, ut in civili societate vivat, quæ suppeditare vitæ sufficientiam perfectam sola potest. ¹⁾ Hoc autem posito, societati denegari nequit facultas exigendi a membris quæ ad existentiam ac conservationem *totius* sunt necessaria.

III. Jus distributivum moderatur societatis influxum in

¹⁾ Encycl. *Immortale*, tom. II, pag. 147.

membra. Etsi cives per justitiam legalem unitati sociali inseruntur, et in ordine ad bonum commune legibus socialibus subjacent, non sunt tamen *res* sed *personæ*, quæ societatis servitio tamquam *mera media* obnoxix fieri nequeunt. Quinimo societas, nedum civium jura usurpât, ad jurium tutelam in primis est instituta. Inde consequitur, ut auctoritas socialis non pro *libitu* de civium personis ac bonis disponere possit vel in bonorum onerumve socialium distributione ad *suum arbitrium* procedere, sed solum in ordine ad bonum *commune* seu *ipsorum civium*, necnon secundum *proportionem meritorum ac virium*. Patet autem justitiam distributivam *fundari in justitia commutativa*.

IV. *Totus ordo juridicus*, tres fines expositos complectens ^{1^o} intendit homines *coordinare* inter se, ^{2^o} et simul *subordinare* unitati sociali, ^{3^o} ratione habita *dignitatis personalis*, ^{4^o} in primis vero *finis ultimi vitæ futuræ*.

§ IV.

Utrum ordo juridicus coactiva inviolabilitate munitus sit.

446. Prænot. Circa hanc juris proprietatem quæritur: 1^o *In quo consistat*; 2^o *in quo fundetur*; 3^o *cuinam juri propria sit*; 4^o *cuinam subjecto competat*.

447. **In quo consistat.** Relatio *juridica* præ relatione *pure morali* v. g. *charitatis*, id sibi proprium habet, ut non solum *moraliter* seu in conscientia et *coram Deo* inviolabilis sit, sed etiam *coram hominibus* tali inviolabilitate gaudeat, ut, ubi opus fuerit, per *vim physicam* vindicari possit.

Hæc tamen *coactiva inviolabilitas*, quæ in ordine

Ut licite adhibeatur vis physica manifeste duo requiruntur: 1^o tale jus, cui respondeat debitum certum et determinatum, 2^o necessitas coactionis relate ad finem ordinis juridici. Et sane quoad 1^m: si debitum non est certum, sed mere probabile, si non est determinatum, sed indeterminatum, puta quoad personas, quibus incumbit, quoad tempus, locum etc., coactio adhiberi nequit, quia destrueret omnem naturalem libertatem ac independentiam et totius societatis perturbationem induceret. — Dein quoad 2^m: vis coactiva non est quid aliud, nisi medium a natura concessum, ut obtineatur finis ordinis juridici; et ideo in necessitate coactionis relate ad hunc finem fundamentum et mensura coactionis continetur.

Atqui in jure commutativo debitum est certum ac determinatum ac præterea omnino rigorosum (N. 435, 6^m); ipsa vero vis coactiva est medium absolute necessarium, ut obtineatur finis justitiæ commutativæ, qui in externa libertate ac mutua independentia hominum consistit. — Pariter in jure legali debitum est certum ac determinatum sive ex lege naturali sive ex lege positiva; ipsa vero societas corrueret, si auctoritas non haberet jus extorquendi ab invitis per vim physicam officia justitiæ legalis. — E contra in justitia distributiva coactio, nedum necessaria sit, e contra omnem ordinem socialem everteret. ¹⁾

Quod dicitur de jure distributivo, id a fortiori militat contra violentam exactionem officiorum pure moralium, qualia sunt officia misericordiæ, gratitudinis etc.; ad istiusmodi officia adimplenda nemo ab homine privato cogi potest. ²⁾

¹⁾ Cathrein, 1, pag. 376, seqq. — ²⁾ Zallinger, *Instit. jur. nat.* § XVII,

undelohung cerhng
 2
 de legitimatus
 dale urodzaleh
 uoor de dode
 dene an unshaffen
 + one commuta
 fimm an ut ju
 legale

die
 on nature

450. Cuinam subjecto competat vis coactiva.

Per se et in abstracto vis cogendi primario competit subjecto juris, aliis vero non nisi secundario; attamen in concreto, i. e. attendita necessaria conditione ordinis socialis, illa vis cogendi primario competit auctoritati sociali, exceptis nonnullis casibus.

Dicitur 1^o *per se et in abstracto vis cogendi primario competit subjecto juris.* Et sane qui habet *jus*, eo ipso habet facultatem coactivam, utpote *essentialiter* illi juri annexam. Hoc præterea confirmatur ex cæco naturæ stimulo, quo unusquisque adigitur ad jura sua propriis etiam viribus defendenda. ¹⁾ Hinc vis coactiva in materia justitiæ *legalis* competit *auctoritati*, et in materia justitiæ *commutativæ* personæ, sive *publicæ* sive etiam *privatæ*, quæ hoc jure commutativo prædita est. ²⁾

Dicitur 2^o *attamen in concreto, i. e. attendita necessaria conditione ordinis socialis, illa vis cogendi primario competit auctoritati sociali.* Si homo consideratur ut *membrum societatis*, non homini *privato*, sed *auctoritati* attribuenda est illa facultas. Etenim lex naturalis præcipit, ut pax et securitas sit inter homines. Atqui pax nulla, securitas nulla, sed perpetuum bellum omnium contra omnes esset, si homines privati in propria causa sua ad vim physicam confugerent. Hinc jus coactionis regulariter transit in *actionem (rechtsvordering)*, qua unusquisque apud *judicem* vindicare potest, quod suum est.

Dicitur 3^o *exceptis nonnullis casibus.* Ubi enim agitur

¹⁾ 2. 2. q. 108, a. 2; Tullius, *Pro Milone*, cap. 3. -- ²⁾ Hinc errat *Positivismus juridicus* et *Schola historica*, quæ statuunt hanc facultatem personis privatis non nisi ex delegatione Status civilis, seu tamquam *civibus* attribui posse.

Jure cogendi
 subjecto
 juris. Hinc
 de jure
 ann. da. j. p. m.
 essentialiter
 de facultate
 vob. p. m. o. l. y.
 In ed. p. m. o. l. y.
 vob. p. m. o. l. y.

u
 a
 2
 rebo
 eto
 di
 ede
 de
 a d. m.
 ar
 de
 un. h. o. s.

De d. m. p. o. d. o.
 p. m. o. l. y. s. i. n. e. l. e. p. i.
 d. i. s. t. r. i. b. u. t. i. o. n. e. v. i. v. e.
 e. u. l. a. r. i. s. d. i. v. i. s. a. b. h. o. l. l. v. e. r. s. i.
 h. o. r. d. i. n. e.

de *vi actuali* repellenda, facultas coactiva ad hominem privatum redit. Hoc enim manifeste exigit publica securitas. Addi possunt casus, quando *recuperatio* rei propriae ab alio injuste detentæ, vel *compensatio* per occupationem rei alienæ ad injuriam reparandam licitæ sunt. — Vide Marres, *De justitia*, lib. II, N. 185, seqq.

de megen
hernef kan
doer op alle
puncten bv
by de kerk
over val
misch moet
aan
niet in een
gaten

§ V.

Quomodo jus dividatur.

451. Jus acceptum pro lege vel facultate morali multifariam dividitur. Præcipuas divisiones indicabimus.

I. Jus acceptum pro lege dividitur:

a) In jus *naturale* et *positivum*; positivum subdividitur in *divinum* et *humanum*; humanum rursus est *ecclesiasticum* et *civile* (N. 335).

b) In jus *privatum* et *publicum*. — Prius ordinat relationes membrorum societatis *inter se*, et immediate intendit bonum *membrorum*, mediate bonum *publicum*. —

Alterum ordinat relationes membrorum *ad societatem* et immediate intendit bonum *publicum*. — Subdividitur in *ecclesiasticum* vel *civile* seu *politicum*.

Jus publicum politicum subdividitur in *internum*, quod respicit *internam* organisationem societatis civilis; et *externum*, quod respicit *externas* relationes juridicas, quæ inter diversas societates civiles existunt. Hinc dicitur jus *internationale*, jus *inter gentes*, jus *gentium*.

¹⁾ A jure gentium, quod relationes *internationales* respicit et partim naturale partim positivum est, omnino differt jus gentium antiquorum. — Jam in antiqua legislatione *Romanorum* occurrit distinctio inter leges *civiles* et *jus gentium*. Leges civilesangebant *cives* Romanos, jus gentium vero *pere-*

alle
non nature
don occorrit
don blivan
de verhouding
regelder staat
reederling

Jus gentium:
1) Wetten van de vreemdeeling wonend op Rom's grondgebied + vast natuurrecht en de gewone betrekkingen van burger en vreemdeeling, die zelf de wetten. Het jus civile werd dan verstaen als dat positieve wetten en door jus gentium + natuurrecht. Later werd door jus natura verstaan, de wetten die

des alleanz gelfde g wares, allea, von de mensche, werdes, ginn
jurisdictionis, jus civile: ginn ad doro de burgeral over de
Kugbrunnen de Scholastiker:

c) In jus consuetudinarium et legale seu scriptum,
prout legitima consuetudine, vel formaliter expressa vo-

grinos in territorio Romano habitantes. Hoc jus peregrinorum, omni generi humano commune, secundum materiam ad jus naturale pertinebat, simul tamen reducebatur ad jus positivum, in quantum erat agnitus et sancitus potestate publica. — Paulatim jus peregrinorum et civile coalescunt, indeque ea pars juris Romani, quæ in natura fundatur adeoque apud omnes peræque custoditur, jus gentium, ea vero pars, quæ populo Romano propria est, jus civile dictum fuit. — A tempore tamen Ulpiani, † 226, nomen juris naturalis strictiorem significationem accepit, ita ut ea sola respiceret, quæ communia sunt homini et cæteris animalibus, ut est v. g. procreatio ac educatio filiorum; inde vero contigit, ut jurisconsulti ea, quæ solis hominibus inter se communia sunt, ut est v. g. divisio dominiorum, non ad jus naturale hoc restricto sensu acceptum, sed ad jus gentium reducerent. Quocirca in Instit. Justiniani lib. 1, tit. 2 legitur: "Jus naturale est, quod natura omnia animalia docuit. . . . Quod quisque populus ipse sibi jus constituit: id ipsius proprium civilis est, vocaturque jus civile. . . . Quod vero naturalis ratio inter omnes homines constituit: id apud omnes peræque custoditur, vocaturque jus gentium. . . . Populus itaque Romanus partim suo proprio, partim communi omnium hominum jure utitur." Patet igitur secundum jurisconsultos Romanos jus gentium revera pertinere ad jus naturale sensu vulgari acceptum.

— Divisionem juris in jus naturale, jus gentium et jus positivum seu civile a veteribus jurisconsultis acceperunt Scholastici. — Attamen intricata quæstio est, quomodo illi Doctores præfatam distinctionem intellexerint. — Duce inprimis Suarezio (De leg. lib. 2, cap. 17-20), alii jus gentium referunt ad jus positivum; alii cum Bellarmino (De clericis, lib. 1, cap. 29) ad jus naturale; et hoc quidem rei naturæ magis consentit, necnon doctrinæ Angelici. — Tria loca sunt, ubi S. Thomas de hac quæstione tractat, scil. In V Ethic. lect. 12; 1. 2. q. 95, a. 4; et 2. 2. q. 57, a. 3. Jam vero primo loco jus gentium pro justo accipiens illud cum Philosopho comprehendit sub justo naturali (Vide Silv. Maur. in l. c. Aristotelis). — Altero loco S. Thomas jus gentium accipit pro lege, ipsumque reducit ad leges positivas humanas, attamen ad illas leges positivas, quæ a lege naturali derivantur sicut conclusiones, adeoque non ex sola auctoritate humana, sed etiam ex lege naturali obligant. Merito tamen jus gentium positivum dicitur quatenus etiam ex consuetudine gentium vim obligandi habet. — Demum tertio loco Angelicus jus gentium iterum accipit pro justo, illudque reducit ad justum naturale. — Si ulterius queritur, circa quam materiam juris naturalis versetur jus gentium, respondeo: Principia prima naturalia, sine applicatione ad aliquam concretam materiam spectata, pertinent ad jus naturale, prout hoc distinguitur a jure gentium. — Si hæc principia ad aliquam materiam applicantur et ipsorum applicabilitas est evidens et facilis, si insuper est materia ubique

Thomas leg. Belajidoms
will. tenen ginn

luntate legislatoris inductum fuit.

452. II. Jus acceptum pro *facultate morali* potissimum dividitur:

a) *Ratione principii*, a quo procedit, in jus naturale et positivum, prout conceditur a lege naturali vel positiva.

b) *Ratione tituli*, in quo fundatur, in jus connatum (originarium, absolutum) et acquisitum (adventitium, hypotheticum). Prius fundatur in ipsa *existentia* personæ juridicæ, sive physicæ sive moralis. Alterum fundatur in aliquo *facto adventitio*, quod supervenit existentiae personæ juridicæ. Connatum est jus vivendi, acquisitum est jus in agrum emptione comparatum.

c) *Ratione connexionis cum subjecto*, in jus alienabile et inalienabile, prout a subjecto amitti, in alios transferri potest vel non potest. Jus non potest amitti vel transferri quoties est necessarium ad officium adimplendum. Inalienabile est jus tendendi in finem ultimum, alienabile est jus in aliquam domum.

d) *Ratione modi, quo subjecto inhæret*, in jus personale, quod subjecto inhæret *immediate*, ut est jus ad vitam, et in jus reale, quod nonnisi *mediante aliqua re* personæ competit, ut est jus servitutis in agrum alienum, quod alicui ratione agri sui competit.

e) *Ratione modi, quo correlativum debitum exigi potest*, in jus coactivum et non coactivum (Vide N. 447—449).

gentium occurrens, habebimus propositionem juris gentium (Van Gestel, N. XXXVIII). Exemplum habes in divisione agrorum. Principium naturale est, quod homines pacifice cohabitare debeant. — Atqui divisio agrorum necessaria est ad pacem inter homines conservandam. Ergo agri dividendi sunt. In hoc syllogismo principium naturale evidenter et facile applicatur ad materiam concretam ubique gentium occurrentem. Præter auctorem citatum inter recentiores consulantur Meijer, N. 571; Cathrein, I, pag. 421, seqq.; Schiffini, N. 216, seqq.

Coactivum est jus commutativum et legale, non coactivum est jus distributivum. — Jura coactiva a recentioribus passim vocantur *perfecta*; attamen nomen juris *perfecti* melius restringitur ad solum jus *commutativum*.

f) *Ratione justitiæ in jus perfectum et imperfectum.* Jus perfectum est jus *commutativum*, quod spectat ad justitiam commutativam, quæ sola habet tres condiciones ad perfectam justitiam requisitas (N. 310 et 435, 6^o). *Ratione justitiæ imperfectum est jus legale et distributivum.*

Jus commutativum est jus *proprietas*, quod consistit in facultate morali aliquid habendi, exigendi *in proprium suum commodum, exclusis cæteris*. — Ut supra (N. 435, 6^o) monuimus, hoc jus est quædam prælatio moralis, qua aliquis homo præfertur moraliter aliis in usu talis rei, quæ propter peculiarem connexionem tota ad ejus utilitatem refertur. In hoc maxime differt jus proprietatis a jure *jurisdictionis*, quod essentialiter spectat bonum *commune*. ¹⁾ Siquidem *jurisdictio* est facultas moralis Superioris obligandi membra societatis, *ut suis actibus ad bonum commune conspirent.*

g) *Ratione subjecti, cui competit, in jus individuale et sociale.* Primum competit personis *physicis* seu *individuis*, quatenus spectantur non ut partes societatis, sed mere secundum suam *independentiam personalem*. — Alterum inest *societati*, quatenus est quædam persona moralis, vel etiam personis *physicis, quatenus sunt partes*

¹⁾ Attamen ad jus jurisdictionis pertinet *dominium altum* seu *eminens* circa bona subditorum. Est autem *dominium altum facultas moralis, quæ reipublica qua tali competit, disponendi de bonis civium, non ut proprietarius absolutus, sed in quantum ad bonum commune necessarium est.* Hæc facultas reipublicæ competit *ratione jurisdictionis*, qua bono communi consulere debet. — Quoad naturam et ambitum hujus juris vide Marres, *De justitia*, lib. 1, N. 9; et latius Van Gestel, *De justitia et lege civili*, cap. 2.

societatis, sive domesticæ, sive civilis, sive religiosæ.
Ita jus proprietatis residere potest tum in individuo,
tum in societate.

ARTICULUS II.

De natura et partitione officii.

453. Prænot. Nomine officii hic intelligimus non
solam obligationem *strictè juridicam*, sed *quamcumque*
obligationem moralem. De officio quæritur: 1^o *Quenam*
sit ejus natura; 2^o *quomodo dividatur*.

alle officie
soms ook
als verplichting

§ I.

De natura officii.

454. **Officii etymon.** Nomen officii derivatur a
verbo *officio*, i. e. *facio me obviari*. 1) Licet autem *ver-*
bum „officio” soleat usurpari in partem malam, *substan-*
tivum „officium” sumitur in partem bonam. „Officium
est, inquit S. Isidorus, ut quisque illa agat, quæ nulli
officiant, id est, noceant, sed prosint omnibus.” 2)

455. **Officii notio.** Officium *abstracte* sumptum
est ipsa *obligatio moralis* (N. 337); *concrete* spectatum
est aliqua *actio* vel *omissio*, quam respicit illa obligatio
moralis.

456. **Jus et officium sunt correlata.** a) *Cum*
nulla veri nominis obligatio seu officium nisi ex lege
oriatur, cumque omnis lex, ut valida sit, a legitima
auctoritate emanare debeat, hinc *nullum officium concipi-*
pitur sine correlato jure legifero. — b) Hoc etiam mani-

als we ee verplichting hebben kan
dye allezout
daar is dan
les weel sy del
wees dan castel
glaes. ouzger
verplichting
gonders wetgen

1) Forcellini, in h. v. — 2) *Etymol.* lib. 6, cap. 18.

festum est, non dari in aliquo *officium*, quin simul sit *jus officium exequendi*: si enim lex aliquem *ligat* ad quidpiam faciendum, a fortiori concedit ipsi *facultatem* id ipsum præstandi. — c) Si vero comparemus personam aliquo officio adstrictam cum altera persona seu cum *termino*, in cujus gratiam tale officium ordinatur, non semper in illo *termino* habetur jus huic officio correlatum: siquidem multa officia erga alios non obligant ex justitia, sed ex alia virtute. Exemplum habes in officiis misericordiæ erga pauperes, gratitudinis erga benefactores. — d) Juri, quod uni competit, in aliis necessario respondet correlatum officium: siquidem jus est essentialiter facultas *moraliter inviolabilis*.

457. **Utrum jus officio, vel officium jure natura prius sit.** a) Si res spectetur absolute et ontologicè, jus prius est quocumque officio: in tantum enim creaturæ rationales adstringuntur *officiis*, in quantum Deus habet *jus legiferum*. In Deo autem non sunt officia, nam Ipse non habet superiorem, a quo legem accipiat, neque in aliquem finem ordinatur, sed est essentialiter dominus supremus et finis absolute ultimus. — b) Sin res spectetur relative seu in creaturis, quædam officia præcedunt jura, et vicissim quædam jura sunt priora officiis. *was ist die absolute und relative Verpflichtung?*

Nimirum: a) Si quæstio instituat de prioritare juri et officiorum in una eademque persona, officium jure prius est. Et sane, primum, quod in homine invenitur, est esse *creaturæ*, adeoque relatio *absolutæ dependentiæ a Deo Creatore et Governatore*, necnon *ordinatio in Deum tamquam finem ultimum*. Posito autem officio naturali maxime originario ac essentiali serviendi

Creatori et tendendi in finem ultimum, enascuntur jura, i. e. facultates respectu aliorum inviolabiles. β) Si vero sermo sit de jure existente in uno deque correlato officio existente in altero, jus officio prius est. ¹⁾ — Si quidem jus est *facultas exigendi* positionem vel omissionem alicujus actionis; officium vero est *debitum* illam actionem ponendi vel omittendi. — Jam vero debitum istud ex eo nascitur, quod aliquid tamquam *suum* ad alterum ordinatur (N. 435); in hac autem ordinatione proxime fundatur facultas moralis illud exigendi; hinc prius intelligitur facultas quam correlatum officium.

§ II.

Quomodo officia dividantur.

458. Officia potissimum dividuntur:

a) *Ratione principii seu legis*, ex qua immediate dimanant, in officia naturalia et positiva. — Officium naturale est abstinere a nimio cibo; officium positivum est abstinere a carne diebus ab Ecclesia vetitis.

b) *Ratione proximi fundamenti*, in officia connata (absoluta) et adventitia (hypothetica). — Officia connata immediate fundantur in natura humana ejusque essentialibus relationibus; quale est officium colendi Deum. — Officia adventitia immediate fundantur in relationibus quopiam facto naturæ *superadditis*. Tale est officium dandi librum alteri promissum.

c) *Rationi termini*, quem respiciunt, in officia erga

¹⁾ Contrarium tenent Solimani, *Instit. Ethicæ etc. Dicaologia*, p. I, cap. 1, Art. 2; Costa-Rossetti, thes. 110.

Deum, erga *seipsum*, erga *proximum*.

d) *Ratione debiti* in officia *juridica* et *non juridica*. — Officia *juridica* respondent alterius facultati *juridicæ*, adeoque debentur ex *justitiâ*, sive legali, sive commutativa, sive distributiva. Tale est officium solvendi pretium rei emptæ. — Officia *non juridica* (pure *moralia*) in altero nullum jus supponunt, sed mere obligant ex titulo alicujus virtutis a *justitiâ* distinctæ. Tale est officium dandi *eleemosynas*.

Posita distinctio respicit sola officia *erga proximum*; nam *ad Deum* comparata *omnia* officia nostra *juridica* sunt, quia *Deus* totius legis observantiam stricto jure exigit. E contra *nullum* officium hominis *erga seipsum* est *juridicum*; nam *subjectum* et *terminus* non distinguuntur.

e) *Ratione modi*, quo officii executio ab aliis hominibus urgeri potest, in officia *perfecta* et *imperfecta*. — *Perfecta* sunt, quorum executio urgeri potest per *vim physicam*; alia vero, etsi *in conscientia* obligent, dicuntur *imperfecta*. ¹⁾ Solvere debita est officium *perfectum*; pauperi succurrere est officium *imperfectum*. — Vide 2. 2. q. 80.

ARTICULUS III.

De juris origine et characterè morali contra errores modernos.

459. Prænot. Maximi momenti est quæstio de *juris origine et characterè morali*, nostra præsertim ætate, quæ antiqui Paganismi errores de omnipotentia Status civilis resuscitavit. Quæstionem triplici § tractabimus:

¹⁾ Quoad hanc denominationem vide N. 452, e).

B. Schola Kantiana. Quod jam pridem Thomasius insinaverat, aperte proclamavit Kant, nimirum *separatorem* et mutuum *independentiam ordinis moralis ac juridici*.

Principio innixus de *absoluta hominis independentia*, Kant in homine distinguit duplicem libertatem, unam *internam*, alteram *externam*, et pro hac duplici libertate pariter duplicem ponit legislationem, unam *internam ac pure moralem*, alteram *externam ac stricte juridicam*.

Libertatem internam (quo nomine nihil aliud intelligit nisi voluntatis independentiam a motivis empiricis, ejusque autonomiam, qua sibi ipsi lex est) respicit *lex pure moralis rationis autonomæ*, quæ præter actiones internas et externas, quas præcipit, etiam exigit, ut agatur ex *sola reverentia legis*, quia secus actio poterit quidem esse *legalis*, non vero *moralis* (N. 148 in fine).

Libertatem externam respicit *lex externa stricte juridica*. Hæc libertas externa, quæ est unicum jus homini *connatum* seu *originarium*, per se limite caret; cum tamen libertas illimitata unius stare nequeat cum libertate illimitata aliorum, hinc *principium coexistentiæ* exigit libertatem uniuscujusque ita restringi, ut simul coexistere possit cum libertate aliorum. Hisee positus:

Jus universim definitur: *Complexus earum conditionum, sub quibus libertas unius cum libertate alterius secundum legem universalem libertatis harmonice simul subsistere possit.*

Generale principium juris est: *Quælibet actio est iusta, quæ, vel secundum quam acceptam pro agendi regula libertas uniuscujusque cum uniuscujusque alterius libertate secundum generalem legem simul consistere possit.*

Lex generalis juridica est: *Ita exterius age, ut liber usus tuæ libertatis cum libertate uniuscujusque secundum generalem legem simul consistere possit.*

Cum itaque jus universim nihil aliud sit nisi complexus conditionum, sub quibus libertas unius cum libertate alterius simul subsistere possit, hinc requiritur *mutua conventio hominum*, quæ illas condiciones determinet, imo etiam *auctoritas coactiva*, qua libertas externa singulorum in favorem libertatis omnium restringatur et jura, quæ ex jure originario libertatis externæ secundum principium coexistentiæ derivantur, tutelam accipiant.

Hinc Status civilis est postulatam rationis, et simul cum auctoritate publica coactiva, non quidem *historice*, sed tamen *juridice* ex pacto sociali humano derivatur. — Ante Statum civilem dantur quidem jura acquisita *provisoria*, non tamen jura *peremptoria*, nam possessio peremptorie juridica non nisi per constitutionem civilem oritur, quæ sola est status juridicus.

Quoniam vero unicus fons obligationis *moralis* est *ratio autonoma*, quæ libertatem *internam* respicit, hinc *lex* et *officia juridica*, utpote rationi autonomæ extranea et libertatem *externam* respicientia, nullam vim *moraliter* obligantem *per se* habent sed solam vim *physice* coactivam; unde et ipsa *facultas juridica* strictè dicta nil ethicum admixtum habet et plane confunditur cum *potestate coactiva*. Admittit quidem Kant officium *juridicum* simul habere posse vim *moraalem*; hæc tamen vis moralis officio juridico solummodo ex eo additur, quod *ratio autonoma* formaliter præcipit idipsum, quod *materialiter* officio juridico simul congruit. ¹⁾

Prætermisissis interim erroribus, qui ex theoria Kantiana in ordine politico invaluerunt, ²⁾ patet per hoc systema *omne jus ab homine derivari*, ordinem juridicum ab ordine morali *penitus separari*, et prorsus confundi cum quodam *legati mechanismo*, quo solvatur problema coexistentiæ. ³⁾

C. Philosophia juris pantheistica. Doctrinam Kantianam amplexus est J. G. Fichte, † 1814, sed suo *Pan-Egoismo* accommodavit. ⁴⁾ Aliis tamen systemata *subjectiva* Kantii et Fichtii non ardebant, et ideo ad systemata *objectiva* confugerunt. Nimirum:

Schelling, † 1854, et *Hegel*, † 1831, docuerunt *Absolutum* seu numen necessario processu se evolvere, in homine ad sui conscientiam venire, ac demum in Statu civili perfectissime realiter præsens fieri. ⁵⁾ Ex hisce principiis

¹⁾ Hanc doctrinam Kant exposuit præsertim in opere *Die Metaphysik der Sitten*. — ²⁾ De his sermo erit in *Ethica speciali*. — ³⁾ Solidam theoriæ Kantianæ refutationem videsis apud Costa-Rossetti, *Synopsis Philos. Mor.* pars II, cap. I, sect. I, § 2; apud Meijer, N. 519, seqq.; Cathrein, I, pag. 406, seqq. — ⁴⁾ Hujus *Pan-Egoismus* seu *Autotheismus* explicat Stöckl, *Geschichte der Philosophie*, § 160. — ⁵⁾ Stöckl, § 162, seqq.

de libertate interna
jura deo habent
aliter vis physica

omne jus ab homine derivari
deus in
deus in

absolutum heft
frei von Vorurteil
von dem man
vollkommen ist
vollkommenes Universum
Jesu dreyen Mann
ferberlich perfekt
von dem Staat alle
Jesu mit der Staat
Zerbröckelung

*Ante operibus
liberalismi de numero
nec non de rationibus
habetur de 1891.*

E. Liberalismus. Hanc magnam ætatis nostræ hæresin exposuit et damnavit Leo XIII, in Encycl. *Libertas*, 20 Junii 1888. „Liberalismi sectatores in actione vitæ nullam contendunt esse, cui parendum sit *divinam potestatem*, sed *sibi quemque esse legem* . . . causam efficientem conciliationis civilis et societatis non in principio aliquo extra aut supra hominem posito, sed in libera voluntate singulorum esse querendam: potestatem publicam a multitudine velut a primo fonte repetendam . . . partemque populi majorem universi juris esse officique effectricem.” Non omnes tamen Liberalismi fautores eo usque procedunt, sed multiplex Liberalismi forma distinguitur, ut latius exponit Leo XIII in præfata Encyclica. ¹⁾

Liberalismi Neerlandici antesignanos, tum radicales tum magis moderatos, esse cognatos philosophi Genevensis et Pantheismi Hegeliani, prout ad Materialismum temporis decursu paulatim declinavit, vide in periodico Studiën op Godsdienslig, Wetensch. en Letterk. Gebied, VI jaarg. De Gezagsstheorie van het liberale Nederland, H. van Schijndel. — Pantheisticam theoriam juris nuperrime publicavit professor Ultrajectensis Hamaker in opusculo Het recht en de maatschappij, Hagæ-comitis, 1888, pag. 132, seqq. ²⁾

Omnes recensiti errores diversa via ad eandem deveniunt conclusionem: „*Reipublicæ status, utpote omnium jurium origo et fons, jure quodam pollet nullis circumscripto limitibus*” (Syllab. XXXIX). — Pro speciali istorum systematum refutatione consulantur auctores citati; præcipuos tamen errores, qui hisce juris theoriis continentur, breviter impugnabimus.

vinum positivum ac jus ecclesiasticum. Prætermisiss argumentis, quæ directe errorem hujus systematis ostendunt, speciatim contra istos Catholicos militat a) quod omnes Scholastici et etiam Moralistæ recentiores jus naturæ admittunt, b) quod R. Pontifices frequenter ad jus naturæ provocant. Vide Syllab. LVI, LXV; Encycl. Leon. XIII, „*Quod apostolici*”, I, pag. 51; „*Libertas*”, § *Quoniam igitur*; et „*Rerum novarum*” 15 Maii 1891, § *Verum, quod majus est.* — ¹⁾ In *Ethica spec.* de diversis Liberalismi gradibus sermo erit. — ²⁾ Nomenclaturam juris naturalis elaboravit Vering in *Literarischer Handweiser*, 1878-1879.

§ II.

Quenam sit juris origo.

461. Prænot. Omnes fere philosophi, qui extra castra catholica versantur, *omnium* jurium originem quaerunt in *homine*, i. e. in aliquo pacto sociali, in aliqua lege civili, in aliqua consuetudine historica. — Ex istis fontibus multa jura dimanare nemo negat; attamen jus *quodcumque*, adeoque et jus *immediate ex causa humana pendens*, quoad suum valorem *saltem mediate et ultimam a Deo derivatur*.

PROPOSITIO.

Ultimus fons juris non est aliqua conventio, lex vel consuetudo humana, sed solus Deus.

462. Prob. pars I. *Non est aliqua conventio humana.* 1^o Antecedenter ad quamcumque humanam conventionem, legem et consuetudinem / vel jam existit obligatio juridica standi conventionibus, servandi leges ac consuetudines legitimas, vel obligatio ista non nisi ex illa conventione etc. nascitur. Si primum: tunc obligatio juridica ejusque essentielle correlatum seu jus procedunt recensitas causas humanas. Sin alterum: tunc adstruitur effectus sine causa; siquidem ex conventione etc., cui nulla vis obligandi inest, equidem obligatio nasceretur. Ergo.

2^o Si omne jus ex conventionem, lege vel consuetudine humana tamquam ex *ultimo* fonte profluit, nulla profecto erit norma juridica hisce superior, adeoque quæcumque pactiones utcumque turpes, modo consensu mutuo fiant, quæcumque leges ac consuetudines, modo externam legalitatem habeant, erunt *essentialiter justæ*.

Handwritten notes:

Veritas
 Non est conventio
 vel obligatio
 humana
 Antecedenter ad quamcumque humanam conventionem, legem et consuetudinem, vel jam existit obligatio juridica standi conventionibus, servandi leges ac consuetudines legitimas, vel obligatio ista non nisi ex illa conventione etc. nascitur. Si primum: tunc obligatio juridica ejusque essentielle correlatum seu jus procedunt recensitas causas humanas. Sin alterum: tunc adstruitur effectus sine causa; siquidem ex conventione etc., cui nulla vis obligandi inest, equidem obligatio nasceretur. Ergo.

2^o Si omne jus ex conventionem, lege vel consuetudine humana tamquam ex ultimo fonte profluit, nulla profecto erit norma juridica hisce superior, adeoque quæcumque pactiones utcumque turpes, modo consensu mutuo fiant, quæcumque leges ac consuetudines, modo externam legalitatem habeant, erunt essentialiter justæ.

Atqui „illud stultissimum existimare omnia justa esse, quæ scita sunt in populorum institutis aut legibus.” — „Quodsi populorum jussis, si principum decretis, si sententiis judicum jura constituerentur: jus esset latrocinari, jus adulterare, jus falsa testamenta supponere, si hæc suffragiis aut scitis multitudinis probarentur.” ¹⁾

3^o Accedit quod multa jura evidenter antecedunt quæcumque institutionem humanam (N. 468).

Prob. pars II. *Est solus Deus.* Etenim in Deo fundatur quæcumque *lex*, quæcumque *facultas* juridica.

I. *Quæcumque lex juridica*: siquidem omnis *lex humana* fundatur in *lege divina* (N. 408).

II. *Quæcumque facultas juridica*: 1^o omnis facultas juridica correlatione metaphysica sibi exigit respondens officium juridicum: jus enim, cui non respondet tale officium, est nomen inane aut vis mere physica. Atqui officium veri nominis, seu voluntatem *moraliter* ligans, non nisi ex *lege* oritur. Porro omnis *lex* vel *divina* est, vel saltem ultimatum in Deo fundatur.

2^o Præterea supremum jus tum *proprietatis*, tum *jurisdictionis* soli Deo essentialiter competit. Siquidem „ex ipso et per ipsum et in ipso (in ipsum: εἰς αὐτόν) sunt omnia;” ²⁾ ipse omnia creavit, omnia conservat; in ejus gloriam externam omnia creata essentialiter ordinantur (N. 14, seqq.). Qui autem omnia creavit, et in quem omnes res creatæ tamquam in finem ultimum essentialiter ordinantur, essentialiter quoque illarum rerum est absolutus Dominus et Gubernator. Atqui posito supremo jure divino, tum proprietatis tum jurisdictionis, in omnes creaturas, nemo profecto aliquod jus proprietatis vel

¹⁾ Tullius, *De leg.* lib. 1, cap. 15 et 16. — ²⁾ *Rom.* XI, 36.

jurisdictionis in easdem creaturas habere potest, nisi ex *communicatione divina*. Ergo Deus est ultimus fons omnis juris.

§ III.

Quænam sit habitudo inter ordinem juridicum et ordinem moralem.

463. PRÆNOT. I. A tempore *Kantii* (N. 460, B) mos invaluit *separandi* ordinem juridicum ab ordine morali. — *Schola historica* aliquo quidem modo utrumque ordinem connectere tentavit, sed media in via hæsitans in contradictionem incidit. Etenim ex una parte docuit ordinem juridicum *fundari* in ordine *morali* a Deo statuto, et huic ordini conformandum esse; ex altera vero parte contendit ordinem juridicum esse *validum*, etsi *opponatur* ordini morali: ex quo sequitur ordinem juridicum ab ordine morali simul pendere et non pendere.

II. Quamvis ordo moralis in suo ambitu *latius pateat* quam ordo juridicus, iste tamen in illo tamquam *pars constitutiva* continetur, et ideo utriusque ordinis *separatio* admitti nequit. ¹⁾

PROPOSITIO.

Ordo juridicus est pars constitutiva ordinis moralis; et ideo utriusque ordinis separatio admitti nequit.

464. Prob. pars I. *Est pars constitutiva ordinis moralis.* Id manifeste deducitur ex *finali unitate ordinis*

¹⁾ Merito Lucien Brun: "Le droit a le même centre, non la même circonférence que la morale." *Introd. à l'étude du droit*, pag. 32.

moralis. Quemadmodum enim *ordo physicus* universum mundum *physicum* tum in suis elementis particularibus, tum in sua collectiva integritate et harmonica unitate comprehendit atque ad unum supremum finem promovet, „in quantum in eis per quamdam imitationem divina bonitas repræsentatur ad gloriam Dei;” ¹⁾ sic etiam oportet, ut *ordo moralis* universum mundum *moralementem* seu omnes creaturas racionales comprehendat, non solum prout seorsum singulæ in se subsistunt, verum etiam prout ordinantur ad invicem, ipsasque sub utroque respectu dirigat ad unum supremum finem, qui in *formali glorificatione Dei et beatitudine creaturæ rationalis* consistit. Atqui *ordo juridicus* spectat rectam ordinationem hominum ad invicem et ad societatem. Ergo *ordo juridicus* est pars constitutiva ordinis *moralis*. ²⁾

Prob. pars II. *Utriusque ordinis separatio admitti*

nequit. Id in primis est consecrarium *partis I*, sed præterea manifestum est *ex absurdis sequelis* sententiæ oppositæ. Statuta enim inter utrumque ordinem separatione: a) *Leges juridicæ* destituuntur vi *moralis*, nullamque, præter *coactionem physicam*, vim habent, et ideo subditi, legum jugum pertæsi, auctoritati resistere possunt sicut domitoribus feræ. — b) *Omnis lex humana* est vere *juridica*, i. e. vera jura veraque officia *juridica* progignens, *etiamsi hæc pugnent cum officiis moralibus*: secus enim *ordo juridicus* ab ordine *moralis* penderet. Atqui ad actum *inhonestum* ponendum neque jus, neque officium est: *statuta enim humana* irritare nequeunt *leges divinas*. — c) *Jus subjectivum* non est *facultas moralis* moraliter *inviolabilis*, sed *potestas physica* physice *inviolabilis*,

¹⁾ l. q. 65, a. 2. — ²⁾ Meijer, N. 508; Schiffnai, N. 190.

grosz, pars I
 2
 about de grosz
 les leges juridiques
 sententia

qua lupus devorat agnum.

Quod *speciatim Scholam historicam attinet*, ipsa Deum blasphemat sibi *met contradicentem*. Etenim *juxta Stahl* ¹⁾ ordo juridicus *debet subservire* ordini morali seu divino, *normam* habet in *præceptis* divinis, *fundatur* in potestate divinitus communicata, et inde omnis lex juridica vim obligatoriam remote *a Deo* accipit; attamen lex juridica, etsi *inhonesta*, vere obligat. Atqui inde sequitur Deum *simul prohibere et præcipere eundem actum*. Etenim Deus per *legem moralem* omnem actum inhonestum *velat*, et tamen mediante *lege humana* inhonestum actum inhonestum *præciperet*. — Præterea per nefandam blasphemiam Sanctitas essentialis redditur complex *cujusvis* nequitiae humanæ *legaliter* statutæ.

465. Coroll. 1^o Admitti nequit duplex conscientia, una moralis, altera juridica priori extranea, imo opposita atque in vita publica prævalens. — Hinc officialibus civilibus non incumbit obligatio exequendi *indiscriminalim* quidquid externam formam legalitatis habeat. — Quinimo nunquam licet *formaliter* cooperari executioni legis injustæ. ²⁾

2^o Rejicienda est *separatio* inter Philosophiam moralem et Philosophiam juris: quemadmodum enim ordo juridicus est pars ordinis morales complete accepti, ita Philosophia juris est pars Philosophiæ morales complete sumptæ. Vide *Introd.* VII, pag. 8.

466. Nota pro solvendis difficultatibus.

1^o Officio juridico satisfit per actionem externam, v.

¹⁾ *Rechts- und Staatslehre*, II Buch, 1 cap. — ²⁾ Plura huc spectantia habet Waffelaert, *Etude de Théologie morale sur la coopération surtout en matière politique et religieuse*, Brugis 1883 (*Nouvelle Revue théol.* XIII, XIV, Conf. XVIII, pag. 473); *Lehmkuhl*, I, 662, 804; II, 701, 725.

g. per restitutionem rei furto ablatæ, *quæcumque sit interna intentio agentis*; ratio est, quia per opus *materialiter justum adæquatur jus alterius*.¹⁾ — Inde tamen non sequitur *officium præstandi saltem materialiter debitum non esse morale*, vel aliquod officium juridicum etiam *in conflictu cum lege morali esse validum*. Hæc duo tamen ab adversariis demonstranda sunt.

2^o Ex eo quod coactioni obnoxia sunt officia juridica, non vero officia pure moralia, sequitur *totum ordinem moralem non esse juridicum*, perperam tamen inde concluderetur *officia juridica omnino vagari extra ordinem moralem*.

3^o Primaria difficultas, quæ ab adversariis, nominatim a *Fichte* obmovetur, in eo est, *quod jus frequenter pugnare videtur cum lege morali*, ut si dives viduam morte mariti solvendi imparem domo locata indesinenter expelleret. — Pro solutione hujus difficultatis distinguas inter jus et juris usum. — Finis immediatus juris in eo consistit, ut unusquisque habeat libertatem externam et independentiam adversus alios homines in iis omnibus, quæ revera sua sunt; siquidem libertas et independentia ista sunt necessariae, ut homo finem suum assequatur. Hæc libertas et independentia ex intentione supremi Ordinatoris in usum rationalem seu legi morali conformem homini dantur; attamen homo iis abuti potest, iisque abutendo legem moralem infringere; quamdiu vero intra limites sui juris se continet, alii homines illum juris abusum coercive impedire nequeunt, sed coram Deo responsabilis est. Hinc intelligitur quomodo aliqua actio, licet in se *nulli stricto juri humano contraria*, aliun-

¹⁾ Relate ad *Deum* etiam *interna intentio* debet esse recta.

de tamen ordini *moralis* repugnare, et *illicita* esse possit. Atque inde fit, ut vitio humano *usus* juris ab ordine *moralis* deflectat, quin tamen ulla inter *jus ipsum* et ordinem *moraalem* sit pugna. ¹⁾

ARTICULUS IV.

Utrum existat *jus naturale*; et quænam sit ^{according} *habitus* inter *jus naturale* et *jus positivum*.

467. Prænot. I. Philosophi increduli passim negant ordinem *juridicum naturalem*. Concinit Schola *historica* hac præsertim *ratione* innixa, quod *jus naturale* non est sufficienter *determinatum*, nec habet *proprium juris efficaciam*, qua correlata officia coactioni obnoxia sint (N. 460, D). Idem error frequenter occurrit apud *Juristas Neerlandos*. ²⁾ Contra istum *Positivismum* *juridicum* demonstrabimus existere ordinem *juridicum naturalem* seu complexum *legum*, *facultatum* et *officiorum*, quæ vere *juridica* sunt independentem a quacumque *legislatione positiva*, sive humana sive etiam *divina*.

II. Attamen nedum negemus *existentiam* ordinis *juridici positivi*, hujus ordinis *necessitatem* vindicamus. Sint igitur quæstiones duæ: 1^o *Utrum existat jus naturale stricte dictum*; 2^o *quænam sit habitudo inter jus naturale et jus positivum*.

¹⁾ Vide Meijer, N. 475; Cathrein, pag. 386. — ²⁾ Inter alios A. de Pinto, *Handleiding tot het Burg. Wetb. Tweede Gedeelte*, § 725, 6e Druk, pag. 510, nullam vim *juridicam* tribuere videtur obligationi mere naturali; siquidem vinculum *juris* agnoscit in lege *positiva*, et vinculum *morale*, i. e. coram Deo et *conscientia*, in obligationibus mere naturalibus, *nulla distinctione facta* inter virtutem *justitiæ* et alias virtutes. Omne *jus naturale* magis explicite rejicit Hamaker, *Hel recht en de maatschappij*, pag. 105. — Quoad distinctionem obligationis in *naturalem* et *civilem* vide Marres, *De justitia*, Notiones præviæ, N. 11.

§ I.

Utrum existat jus naturale stricte dictum.

PROPOSITIO.

Existit ordo juridicus naturalis independenter a quacumque legislatione positiva.

468. Prob. I. *Ex conceptu juris.* Jus primarie significat objectum justitiæ seu *justum*, i. e. *meum* et *tuum* (N. 435). Atqui sunt *res permultæ*, quas vi *ordinis naturalis*, seu independenter a quacumque lege positiva vel consuetudine historica, unus tamquam *suum* ab altero *exigere potest*, et quas vicissim unus alteri tamquam *suum reddere debet*, sive spectes justitiam *legalem*, sive *commutativam*, sive *distributivam*. Ergo.

Prob. Min. *Sunt res permultæ* etc., si 1^o existit lex *naturalis* hominibus *suum cuique* reddere præcipiens et quidem ex *justitia*, et si 2^o *meum* et *tuum* per *naturam* sufficienter *determinantur*. Atqui:

1^o Generale præceptum „*suum cuique redde*” lumine *naturali* rationis tanta evidentia innotescit, ut ne apud barbaros quidem unquam fuerit obscuratum; ¹⁾ est fundamentum omnis convictus humani; quinimo per negationem hujus præcepti naturalis corrumpit officium parendi legibus juridicis *positivis*.

2^o *Meum* et *tuum* per *naturam* sufficienter *determinantur*, et quidem:

a) Quoad justitiam *legalem*: Societas civilis ab *Auctore*

¹⁾ De Quatrefages, *L'Espèce humaine*, livr. X, chap. 34; Cathrein, I, *Anhang*.

naturæ procedit. Atqui societas finem suum naturalem attingere, imo ne existere quidem potest, nisi jure prædita sit exigendi a membris quidquid necessarium sit, ut suum finem consequatur. *Jure* societatis posito, ponitur simul correlatum *officium juridicum* in membris. Ergo antecedenter ad quascumque leges *positivas* recta ratio postulat jura et correlata officia in ordine justitiæ *legalis*. Porro inter illa jura et officia sunt multa, quæ nulla *positiva* determinatione indigent: talia sunt v. g. jus exigendi obedientiam, officium abstinendi a rebellionem, non prodendi patriam etc.

b) Quoad justitiam *commutativam*: Multa sunt, quæ unusquisque privatus *suum* dicere potest vi *connexionis naturalis*, quin ulla determinatio *positiva* requiratur. — Et sane jura *connata* in ipsa *natura humana fundantur*, et immediate *determinantur per factum naturale* realis existentiæ individui humani. Talia sunt jus vivendi, jus tendendi in finem ultimum, jus acquirendi proprietatem. — Quis enim contendat infanticidium non esse *injuriam*, sed ad summam violationem legis *pure moralis*, ubi lege civili permittitur et consuetudine toleratur? Pariter ipsa jura *acquisita* sufficienter determinari possunt per aliquod *factum adventitium* independentem a quacumque lege *positiva*. — Exemplum habes in captura feræ a venatore degente extra civile consortium.

c) Quoad justitiam *distributivam*: Quamvis cives per justitiam legalem societati inserantur, non potest tamen auctoritas socialis *pro libitu* de persona et bonis civium disponere atque ex partium studio bona socialia distribuere: secus quæcumque tyrannica vexatio legitimeretur.

Atqui est hæc non scripta sed nata lex, quam ex natura ipsa arripimus.

Prob. II. *Ex eo quod existit ordo juridicus positivus, ut omnes admittunt. Atqui ordo juridicus positivus fundatur in ordine juridico naturali, eumque præsupponit (N. 471).*

Prob. III. *Ex eo quod homo habet officia naturalia. Existere legem divinam naturalem adeoque et officia naturalia supra (N. 359) contra incredulos demonstravimus; hanc legem naturalem, quatenus moralis est, libenter admittit Schola historica. Atqui Auctor nature imponendo officia naturalia simul dat facultatem moralem officia adimplendi. — Ergo antecederet ad quamcumque ordinationem humanam jura multa existere debent ex lege naturali derivata.*

Prob. IV. *Ex pessimis consecrariis Positivismi juridici humani, qui practice colludit cum Statolatria Hegeliana. Hæc enim doctrina admissa, jus positivum civile non solum destituitur fundamento, sed etiam quocumque limite ac regula. ¹⁾*

469. Nota pro solvendis difficultatibus.

¹⁰ Optime quidem de scientia juris meruerunt scriptores Scholæ historicæ excolendo ac mira eruditione illustrando *jus consuetudinarium*; merito etiam impugnarunt *jus naturale Rousseavianum* de absoluta hominum independentia ac æqualitate, quod cujusvis rebellionis et anarchiæ semina continet; attamen debellando arbitrariam juris naturalis *corruptelam*, perperam simul bellum indi-

¹⁾ Hæc latius vide apud Stüeckl, § 89; Meijer, N. 557, seqq.; Cathrein, I, p. 394, seqq.

xerunt genuinæ juris naturalis conceptioni Scholasticorum. Etenim doctrina Scholastica, nedum rebellioni ansam præbeat, e contra auctoritati et legi civili *necessarium fundamentum suppeditat*.

2^o Immerito Schola historica excipit jus naturale tum requisita *determinatione*, tum *vi juridica* destitui. Etenim primum esse falsum patet ex argumento primo (N. 468). Alterum nititur in confusione *inviolabilitatis coactivæ cum actuali potentia physica* (N. 447).

3^o Doctrina Scholasticorum de existentia juris naturalis, deque ejus superioritate relate ad jus civile *nihil detrakit sanctitati juris positivi et nequaquam judicia for-
rensia arbitratui judicum relinquit.* ¹⁾ Etenim „judicium nihil aliud est quam quædam definitio vel determinatio ejus, quod justum est. Fit autem aliquid justum dupliciter: uno modo ex ipsa natura rei, quod dicitur *jus naturale*; alio modo ex quodam indicto inter homines, quod dicitur *jus positivum*. Leges autem scribuntur ad utriusque juris declarationem, aliter tamen et aliter; nam legis scriptura jus quidem naturale *continet*, sed non instituit; non enim habet robur ex lege, sed ex natura; jus autem positivum scriptura legis et *continet et instituit*, dans ei auctoritatis robur. Et ideo necesse est, *quod judicium fiat secundum legis scripturam; alioquin judicium deficeret vel a justo naturali vel a justo positivo.*” ²⁾ Attamen „si scriptura legis contineat aliquid contra jus naturale, injusta est, nec habet vim obligandi . . . et ideo nec tales scripturæ leges dicuntur, sed potius *legis corruptiones*. Et ideo secundum eas non est judicandum.” ³⁾

¹⁾ Hoc perperam contendit Hamaker, *Het recht en de maatschappij*, pag. 13 et 40. — ²⁾ 2. q. 60, a. 5. — ³⁾ 2. q. 60, a. 5, ad 1. Lex Neerlandica *Al-*

Hoc itaque inter doctrinam *S. Thomæ* et placitum *Stahlii* discriminis est, quod in utriusque juris *conflictu* secundum Doctorem Angelicum prævalet *jus divinum*, et ex adverso secundum Doctorem ^{Stahlii} Lutheranum *jus humanum*.

Quinimo prorsus impossibile est, ut lex positiva civilis omnibus casibus solvendis provideat, et ideo judici sæpe ad jus naturale recurrendum est; ex quo iterum patet jus naturale pro ipsis judiciis forensibus esse omnino necessarium. ¹⁾

§ II.

Quenam sit habitudo inter jus naturale et jus positivum.

470. Prænot. Quæstio intelligatur de jure positivo *civili*. Quod jus positivum *divinum* vel *ecclesiasticum* attinet, ipsum non *fundatur* in jure naturæ, sed præsupponit jus naturale ut *conditionem necessariam* (N. 407).

gemeene Bepalingen art. 11 statuit: « *De regter moet volgens de wet regt spreken; hij mag in geen geval de innerlijke waarde of billijkheid der wet beoordeelen.* » — ¹⁾ Ex præfatæ legis art. 13: « *De regter, die weigert regt te spreken onder voorwendsel van het stilzwijgen, de duisterheid of de onvolledigheid der wet, kan uit hoofde van rechtsweigerig vervolgd worden,* » non sequitur legem civilem continere principia, quæ ad omnes casus solvendo sufficient. Hoc passim concedunt jurisperiti. « *Het is niet mogelijk, ait De Pinto, in een wetboek alle gevallen, die immer kunnen plaats hebben, te voorzien. De regter moet dus in die gevallen, waarover de wet zwijgt, zijne toevlugt nemen óf tot de analogie van het regt, door van een voorzien tot een niet voorzien geval te redeneren, óf, waar dit onmogelijk is, moet hij de regelen der natuurlijke billijkheid raadplegen.* » *Handleiding tot het Burg. Wetboek*, tweede Gedeelte, Algemeene Bepal. art. 13, 6e Druk, pag. 31. Præclare auctores codicis Gallici in oratione præliminari: « *Quand on n'est dirigé par rien de ce qui est établi ou connu, on remonte aux principes du droit naturel. Car si la prévoyance des législateurs est limitée, la nature est infinie: elle s'applique à tout ce qui peut intéresser les hommes.* » Vide Van Gestel, XIV; Lucien Brun, pag. 53.

PROPOSITIO.

Ordo juridicus naturalis est fundamentum et norma ordinis juridici positivi; vicissim ordo juridicus positivus est necessarium complementum ordinis juridici naturalis.

471. **Prob. pars I.** *Ordo juridicus naturalis est fundamentum ordinis juridici positivi*, si valor *cujuscumque legis*, obligationis, facultatis *juridicæ positivæ* pendet a *lege* *juridica naturali*. Atqui omnis *lex civilis* fundatur in *lege naturali* atque ab ipsa accipit vim obligativam (N. 408). Quodsi in *lege naturali* quoad valorem fundatur *lex civilis*, ergo et *obligatio* et *facultas juridica* ex *lege civili* dimanans. Ergo.

Prob. pars II. *Ordo juridicus naturalis est norma ordinis juridici positivi*, si a) nulla *lex* vel *officium juridicum positivum* obligare potest ad id, quod *legi naturali* repugnat, si b) nulla *facultas juridica positiva* datur ad id, quod *lege naturali* prohibetur. Atqui utrumque constat. Ergo.

Prob. Min. pars I. Si *lex* obligaret *contra legem naturalem*, tunc quoad suum valorem non fundaretur in *lege naturali*; nam *lex naturalis* seu *Auctor naturæ* sibi contradicere non potest. Hinc pariter repugnat *officium positivum* contrarium *officio naturali*. — Præterea nulla *lex creaturæ* prævalet *legi Creatoris*.

Prob. Min. pars II. *Facultas juridica* ad id, quod *lege naturali* prohibetur, importat sibi respondens *officium* in aliis. Atqui tale *officium* repugnat. Ergo et *jus*. — Præterea repugnat *facultas moralis ex lege naturali* *inviolabilis* ad id, quod *eadem lege* prohibetur. Atqui ta-

lis facultas tamen admittenda foret; nam omnis facultas positiva simul cum lege positiva mediate a lege naturali derivatur.

Prob. pars III. *Ordo juridicus positivus est necessarium complementum ordinis juridici naturalis*, si iste per se solum pro vita sociali *non sufficit*, sed naturaliter indiget in multis *declarari, determinari, pœnis temporali- bus sanciri* per auctoritatem civilem vi juris naturalis ad hoc provide institutam. Atqui his omnibus indiget ordo juridicus naturalis. Ergo.

Prob. Min. Quamvis ordo juridicus naturalis plura jura et officia contineat sufficienter certa ac determinata, ut habeant vim juridicam (N. 468), nihilominus tamen:

a) Plurima complectitur, quæ sunt *dubia, controversa*; circa multa nihil *determinavit*; et tamen vita socialis exigit, ut dubia in certa convertantur, ut indeterminata pro diversis temporum locorumque adjunctis practica ac stabili determinatione applicentur conditionibus socialibus. — Præterea bonum commune, imo ipsa societatis existentia exigit, ut legislatio positiva jurium naturalium *usum moderetur, restringat* etc. Ergo ordo juridicus naturalis compleri debet per ordinem juridicum positivum, qui strictiori sensu *civilis* vocatur, ad quem spectat *Codex civilis (Burgerlijk Wetboek)*.

b) Quinimo ipsa facultas moralis utendi *coactione* quoad jura naturalia coactiva, attenta necessitate ordinis socialis, extra casus exceptos, non personis privatis, sed auctoritati publicæ competit (N. 450). — Atqui mensura et modus, quo vis illa exerceatur, indiget determinatione positiva. Huc spectant leges de *custodia publica*,

de *processibus civilibus* (*Wetboek van Burgerlijke Rechtsvordering*) etc.

c) Ordo juridicus naturalis in materia justitiæ *legalis* quoad multa est indeterminatus, variamque applicationem admittit quoad functiones regiminis politici et media, quibus ad suum munus implendum indiget auctoritas publica. — Atqui ad ordinatum regimen societatis necesse est, ut hæc omnia determinentur lege positiva. Huc ordinantur leges *constitutivæ*, *pecuniariæ*, *militares* etc.

d) Denique ordo juridicus naturalis contra iniquos nebulonum conatus *præmuniri* debet pœnis temporalibus per leges criminales, quarum complexus dicitur *jus pœnale* (*Wetboek van Strafvordering*, van *Strafrecht*). ¹⁾

ARTICULUS V.

De jurium et officiorum limitatione ac collisione.

472. Prænot. Inter juris attributa, præter *inviolabilitatem coactivam* (de qua sermo fuit N. 447, seqq.), recensentur *limitatio* ac *collisio*. Porro nomine *limitationis* intelligitur determinatio confinium, extra quæ jus vel officium non amplius suam vim moralem exerit. — *Collisio* vero habetur, quando duo vel plura jura vel officia concurrunt, quibus simul satisfieri nequit. Quocirca sit quæstio duplex: 1^o *Intra quos limites coercetur vis juris*; 2^o *quodnam jus vel officium in collisione prævaleat*.

¹⁾ Stöckl, § 90; Costa-Rossetti, thes. 77.

§ I.

Intra quos limites coerceatur vis juris.

473. *Limites juris determinantur* tum per *finem*, cujus gratia jus a lege conceditur, tum per *officia*, quibus adstringitur juris subjectum. Et sane quoad *primum*: finis est mensura eorum, quæ in finem ordinantur. Hinc intelligitur jus parentum ad obedientiam filiorum, quod educationem spectat, hac educatione completa, sponte evanescere, neque attingere electionem status, utpote quæ ad educationem non pertineat. — Quod vero est ad *secundum*: quidquid officio opponitur *moraliter malum* est. Atqui ad malum morale nullum jus est; nam omne jus fundatur in *lege*, et quidem ultimatim in *lege divina* (N. 471, *Prob. pars I et II*). Hinc datur jus prosequendi finem legis mediis honestis, non vero mediis inhonestis.

§ II.

Quodnam officium vel jus in collisione prævaleat.

474. **Collisio non est objective realis, sed mere apparens.** Siquidem omnis *lex* est essentialiter ordinatio *rationis*, omnis *obligatio* a *lege* dimanat, et ultimatim derivatur a *voluntate divina*. Atqui ratio sibi contradicere, voluntas divina sibi oblectari nequit. Ergo officiorum ac jurium collisio nihil aliud est nisi quædam *subordinatio*, quæ, ut repræsentetur forma sensibili, exhibetur veluti quædam pugna, similitudine ducta ab ordine mechanico, in quo vis intensior contrariam vim remissiore elidit.

475. In collisione prævalet officium vel jus, quod moraliter fortius est. Etenim unum officium vel jus alteri prævalere idem est ac ex duobus officiis vel juribus in abstracto spectatis, unum in concreto retinere suam vim moralem, vi alterius ab eo vel deleta omnino vel saltem suspensa. Atqui officium vel jus, quod in casu vim moralem retinet, evidenter fortius est in ordine morali. ¹⁾

476. Undenam judicetur quodnam officium vel jus moraliter fortius sit.

Pro officio potissimum attendatur: 1^o ad *legem*, unde profluit: siquidem lex nobilior, strictior, bono communi magis necessaria prævalet legi oppositæ. Hinc officia naturalia positivis, negativa affirmativis, juridica pure moralibus, cæteris paribus, anteponenda sunt. ²⁾ — 2^o Ad *materiam*, circa quam officium versatur: siquidem, generatim loquendo, bonum commune prævalet privato, bonum majus minori etc. — 3^o Ad *terminum*, quem officium respicit: siquidem eo præstantius est officium, quo intimior, universalior ac magis necessaria est relatio inter officii subjectum et terminum. Hinc officia erga Deum cæteris omnibus præstant, quia relatio, qua cum Deo jungimur, est maxime intima, universalis ac necessaria. Secundum locum tenent officia erga nos ipsos, quia vinculum *identitatis*, quod nobiscum habemus, arctius est quam vinculum *similitudinis*, qua cum aliis hominibus jungimur.

Pro jure præsertim attendatur: 1^o ad *legem*, unde dimanat, ut modo diximus de officio. Hinc jura naturalia moderari quidem potest lex civilis, ordinem juridicum

¹⁾ Costa-Rossetti, thes. 113. — ²⁾ Meijer, N. 594.

naturalem *subvertere* nequit. ¹⁾ — 2^o Ad *materiam*, quam respicit: siquidem illud jus debet prævalere, quod habet præstantius objectum. Ita jus ad vitam prævalet juri ad bona fortunæ, et ideo in necessitate extrema quisque summo jure sibi ex bonis alienis providet. — 3^o Ad *titulum*, in quo fundatur: quo nobilior est titulus, eo excellentius est jus. Hinc per se jura connata præcellunt juribus acquisitis.

Nota tamen hasce generales regulas non paucas admittere exceptiones propter varietatem adjunctorum, quæ officiorum ac jurium collisionem inducunt; et ideo valde ardua est istarum regularum applicatio ad casus concretos. Interim hæc generatim indicasse sufficiat, nam applicatio regularum ad *Ethicam specialem* pertinet.

¹⁾ Hic obiter notetur *jus civile*, quod intuitu *boni communis*, non raro *jura naturalia alienabilia* adimit, minime pugnare cum lege naturali (Vide N. 368, 1^o). Etenim ubi *lex naturalis non præcipit*, sed aliquid *mere permittit* vel *concedit*, *lex civilis* talem permissionem vel concessionem tollere potest, *in quantum hoc pro bono communi necessarium est*. Provide enim ab *Auctore nature* instituta est auctoritas civilis, ut bono communi consulat; et ipsa *lex naturalis*, nedum prohibeat, e contra jubet obedire legibus civilibus, quando bono communi consonant. Plura vide apud Van Gestel, *De justitia et lege civili*, N. LI.



IMPRIMATUR.

Haaren, 10 Maji 1892.

L. BERKVENS,
Libr. Cens.

INDEX.

—36—

	PAG.
Præfatio	III
Introductio. I. Philosophia est tripartita. II. Definitio Philosophiæ moralis. III. <u>Philosophia moralis est scientia practica.</u> IV. <u>Fons proprius et subsidia extrinseca</u> Philosophiæ moralis. V. <u>Habitudo inter Philosophiam mor. et Theologiam mor.</u> VI. Philosophiæ moralis præstantia et utilitas. VII. Philosophiæ moralis divisio in Ethicam generalem et specialem	1

Pars I.

ETHICA GENERALIS

complectens

PRINCIPIA GENERALIA ORDINIS MORALIS NATURALIS.

Partitio Ethicæ generalis in sex capita	10
---	----

CAPUT I.

De ultimo fine naturæ humanæ.	10
---------------------------------------	----

ARTIC. I. Utrum natura humana sibi aliquem finem ultimum præfixum habeat, et in quo ille finis consistat	11
§ I. Notiones præviæ de fine et bono.	11

	PAG.
§ II. Utrum revera existat aliquis finis ultimus naturæ humanæ . . .	17
§ III. Quisnam sit finis ultimus naturæ humanæ	18
SECT. I. Quisnam sit finis absolute ultimus totius mundi, adeoque et ipsius naturæ humanæ	18
SECT. II. Quisnam sit finis ultimus naturæ humanæ proprius.	27
ARTIC. II. In quo consistat beatitudo humana . .	32
§ I. In quo consistat beatitudo objectiva.	32
§ II. In quo consistat beatitudo subjectiva seu formalis	39
ARTIC. III. De beatitudine naturali et supernaturali.	43
ARTIC. IV. Utrum carnis resurrectio ad beatitudinem naturalem pertineat	49
ARTIC. V. Quænam sit destinatio hujus vitæ mortalis.	51

CAPUT II.

De actu humano spectato secundum esse physicum.	56
ARTIC. I. Quid sit actus humanus	56
ARTIC. II. De voluntario	61
§ I. Quid sit voluntarium	62
§ II. Quotuplex voluntarium distinguitur	64
§ III. De requisitis pro voluntario indirecto	68
ARTIC. III. De libero	73
§ I. Quid sit libertas physica	73
§ II. Utrum homo libertate præditus sit.	76

§ III. Quænam sit extensio libertatis humanæ	81
ARTIC. IV. De impedimentis voluntarii liberi	82
§ I. Violentia physica	83
§ II. Ignorantia	85
§ III. De passionibus animalibus, deque earum influxu in voluntarium liberum	91
SECT. I. Quid sit passio animalis.	92
SECT. II. De influxu passionum in voluntatem	97
SECT. III. Concupiscentia	99
SECT. IV. Metus.	104

CAPUT III.

De actu humano moraliter spectato.	108
ARTIC. I. De moralitate generatim	109
§ I. Quid sit moralitas	109
§ II. Utrum sit discrimen intrinsecum inter bonum et malum	111
§ III. Quænam sit norma objectiva, quæ bonum et malum intrinsecum formaliter discriminet.	119
SECT. I. Recensentur et impugnantur sententiæ erroneæ	120
SECT. II. Demonstratur vera norma objectiva formaliter discriminans bonum et malum	130
SECT. III. De ordine morali naturali et supernaturali	136

	PAG.
§ IV. Quænam sit norma subjectiva moralitatis intrinsecæ	142
§ V. Quænam sit moralitatis norma obligans	145
§ VI. Quænam sit moralitatis partitio.	146
ARTIC. II. De moralitate in specie	149
§ I. Quinam sint moralitatis fontes	149
SECT. I. Objectum	150
SECT. II. Circumstantiæ	151
SECT. III. Finis operantis.	156
§ II. Quænam requirantur, ut actus humanus sit bonus vel malus	157
SECT. I. Actus moraliter bonus	158
SECT. II. Actus moraliter malus	166
ARTIC. III. De moralitatis extensione	169
§ I. Utrum sit actus indifferens	169
§ II. Utrum actus imperatus habeat moralitatem formalem distinctam a moralitate actus imperantis	172
§ III. Utrum passiones animales moralitatem habeant.	175
SECT. I. Utrum passiones moralitatem habeant; et unde nam ipsarum bonitas vel malitia pendeat	175
SECT. II. Quomodo passiones in homine ad vitam intellectualem eleventur.	179
SECT. III. Quam utiles vel noxiæ sint passiones animales.	181
ARTIC. IV. De actuum moralium proprietatibus	183
§ I. De imputabilitate actuum mora-	

INDEX.	379
	PAG.
lium	183
SECT. I. In quo consistat imputabilitas moralis . . .	183
SECT. II. Utrum actus morales imputentur	184
SECT. III. De imputabilitate effectuum	185
SECT. IV. Quænam sit imputationis quantitas	190
SECT. V. Quonam tempore contrahatur ab agente malitia effectus imputabilis . .	193
§ II. De merito ac demerito actuum moralium, necnon de præmio ac pœna.	198
SECT. I. De merito ac demerito.	198
SECT. II. De natura præmii ac pœnæ, deque fine, quem ipsa spectant	205

CAPUT IV.

De virtutibus et vitiis.	208
ARTIC. I. De virtutibus	209
§ I. De virtutibus generatim	209
SECT. I. Quid sit virtus generatim accepta	209
SECT. II. Quomodo virtutes dividantur in intellectuales et morales.	211
§ II. De virtutibus moralibus generatim.	213
SECT. I. Quænam sit causa virtutum moralium	213

	PAG.
SECT. II. De proprietatibus virtutum moralium . . .	216
SECT. III. De necessitate virtutum moralium	219
SECT. IV. Quomodo virtutes morales dividantur in quatuor cardinales	220
SECT. V. Quænam sit habitudo inter virtutes naturales et supernaturales . . .	223
§ III. De virtutibus cardinalibus in specie	226
SECT. I. Prudentia	226
SECT. II. Justitia	229
SECT. III. Fortitudo	237
SECT. IV. Temperantia	239
ARTIC. II. De vitiis	241

CAPUT V.

De norma completa actuum humanorum, tum objectiva seu lege, tum subjectiva seu conscientia.	243
ARTIC. I. De lege generatim	244
§ I. Quid sit lex	244
§ II. In quo consistat legis obligatio.	249
ARTIC. II. De lege æterna	252
§ I. Quid sit lex æterna	252
§ II. Utrum existat lex æterna . . .	254
§ III. Utrum et quomodo a lege æterna deriventur omnes leges temporales.	257
ARTIC. III. De naturali promulgatione legis æternæ, seu de lege divina naturali . .	258
§ I. Quid sit lex divina naturalis .	259

INDEX.

381

PAG.

§ II. Quomodo distinguantur legis naturalis præcepta.	261
§ III. Utrum revera existat lex divina naturalis	264
§ IV. Utrum lex naturalis sit vere lex divina	267
§ V. Quænam sint præcipuæ proprietates legis naturalis	274
SECT. I. Legis naturalis immutabilitas	274
SECT. II. Legis naturalis perspicuitas	278
§ VI. Quodnam sit supremum principium cognoscitivum legis naturalis.	282
§ VII. Utrum lex naturalis debita sanctione munita sit	284
SECT. I. Utrum lex naturalis aliqua sanctione munita sit.	284
SECT. II. Utrum præmium et pœna tribuantur statim post mortem, et in quo ipsa consistant	289
SECT. III. Utrum pœnæ alterius vitæ sint æternæ	294
SECT. IV. Utrum sanctionis intuitu legem observare liceat.	300
ARTIC. IV. De lege positiva	303
§ I. Quid sit lex positiva	303
§ II. Utrum leges positivæ sint possibiles vel etiam necessariæ	305
§ III. Utrum leges positivæ quoad suam vim obligativam a lege naturali	

	PAG.
pendeant	309
§ IV. Quænam sint essentialia conditio- nes pro valore legis positivæ .	312
§ V. De mutabilitate et cessatione le- gis humanæ	319
ARTIC. V. De legis applicatione seu de conscien- tia morali	322

CAPUT VI.

De juribus et officiis.	327
ARTIC. I. De natura et partitione juris . . .	327
§ I. Quotuplici sensu jus accipiat .	328
§ II. Quid sit relatio juridica. — Er- ror circa juris subjectum . . .	332
§ III. Quisnam sit finis ordinis juridici.	338
§ IV. Utrum ordo juridicus coactiva in- violabilitate munitus sit . . .	339
§ V. Quomodo jus dividatur . . .	343
ARTIC. II. De natura et partitione officii . . .	347
§ I. De natura officii	347
§ II. Quomodo officia dividantur . . .	349
ARTIC. III. De juris origine et caractere morali contra errores modernos	350
§ I. Recensentur sententiæ erroneæ .	351
§ II. Quænam sit juris origo . . .	357
§ III. Quænam sit habitudo inter ordi- nem juridicum et ordinem mora- lem	359
ARTIC. IV. Utrum existat jus naturale, et quænam sit habitudo inter jus naturale et jus positivum	363

§ I. Utrum existat jus naturale stricte dictum 364

§ II. Quænam sit habitudo inter jus naturale et jus positivum . . . 368

ARTIC. V. De jurium et officiorum limitatione ac collisione 371

§ I. Intra quos limites coerceatur vis juris 372

§ II. Quodnam officium vel jus in collisione prævaleat 372



ERRATA

CORRIGE

Pag. 1, not. 1, Proœmium Philos. Mor.. tom. I. pag. 1	
„ 3, not. 2, lect. II, q. 1 q. 5	
not. 3, lect. III lect. II	
„ 27, not. 1, l. q. 89 l. q. 84	
„ 35, not. 1, Suarez, Disp. 5, 3, 1. Suarez, Disp. 5, s. 1	
„ 40, not. 1, l. 2. q. 3, a. 4 l. 2. q. 3, a. 2	
not. 2, l. 2. q. 3, a. 2, ad 3. l. 2. q. 3, a. 3	
„ 42, not. 1, l. 2. q. 18, a. 1 l. q. 81, a. 1	
„ 44, not. 1, Constit. <i>Dei Filius</i> , cap. 3. Constit. <i>Dei Filius</i> ,	
cap. 2	
„ 67, lin. 25, videatur videtur	
„ 88, lin. 21, samem tamen	
„ 121, lin. ultima, vivere vivre	
„ 152, lin. 24, independenter independenter	
„ 169, not. 1, Raphaël a S. Joseph, . Raphaël a S. Jo-	
N. 166. seph, N. 160	
„ 210, lin. 22, ab bonum ad bonum	
„ 258, lin. 18, instituenda instituendæ	
„ 274, lin. 22, ab extrinseco ab extrinseco	
„ 323, lin. 7, spectant spectat	
„ 325, lin. 24, vincibiliter invincibiliter	
„ 329, not. 3, ad externos actus in- . ad externos actus	
justos justos vel injustos	
„ 335, lin. 8, ergo erga	